DE PUGNA MARATHONIA QUAESTIONES.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE

LIPSIENSI

RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

Nöthe, Heinrich
HENRICUS NOETHE
SUSATENSIS.

SUSATI
TYPIS NASSIANIS.
MDCCCLXXXI.

Hoc libello ut de pugna Marathonia dissererem, ea potissimum causa commotus sum, quod de scriptoribus veteribus eius proelii nondum omnia satis accurate exposita sunt. Jure igitur denuo huic rei pertractandae operam dare mihi videor, cui quaestioni prius caput destinavi. Fontium singulorum fide et auctoritate examinata et perspecta spero non solum viam me monstraturum esse, qua sola ad pugnam illam recte cognoscendam perveniamus, verum etiam recentiores scriptores, qui in ea narranda ab Herodoto, gravissimo rerum cum Persis gestarum auctore, quantum potuerunt, discesserunt, valde a vero aberrasse neminem non esse intellecturum. Quae omnia altero capite complectar ac meam de pugna sententiam exponam ita ut simul in locos aliquot dubios, qui Herodoteae proelii descriptioni insunt, quemadmodum sint explicandi, inquiram.

Jam ad rem ipsam accedamus.

Caput I.

Ac primum quidem veteres auctores, quantum huc pertinent, in quattuor partes divisi, quarum prima comprehendam Herodotum et qui eum secuti sunt: Plutarchum, Suidae auctorem (s. v. Ἱππίας), Justinum, secunda Nepotem, Diodorum, auctores Suidae (s. v. Ἱππίας Ἀθηναίων τύραννος) et Crameri Anecd. Graec. Oxoniens., Ps. — Plutarchum (Parall. min. I), qui omnes ex Ephoro hausisse videntur, tertia auctorem Suidae (s. v. χωρὶς ἱππεῖς), quarta denique Ctesiam, Isocratem, Platonem, Ps. — Platonem (Menex. 240), Theopompum, scriptorem libelli, qui inscribitur de malignitate Herodoti, c. 27, Pausaniam, Andocidem, qui plerique ad nullum certum fontem referri possunt.

Jam ad scriptores illos singulos transeamus ac vide-

amus, quae quisque de pugna perhibeat, quos fontes secutus quam fidem auctoritatemque mereatur.

I 1. **Herodotus** (VI 94—124 ed. Stein. vol. III [3] Berol. 1874) haec tradit de proelio:

„Atheniensibus et Aeginetis bellum inter se gerentibus Dareus, ut Atheniensibus et Eretriensibus inferret bellum, Datim et Artaphrenem magno beneque armato excercitui praefectos in Graeciam proficisci iussit. Namque Pisistratidae calumniantes (cf. etiam Herod. V 96) ei semper instite-rant. Praeterea rex ista causa interposita eas gentes Graeciae, quae terram et aquam legatis suis denegassent, subigere cupiebat (VI 94). Satrapae cum in Aleium campum Ciliciae pervenissent, navibus onerariis equitatu, triremibus autem sescentis exercitu pedestri impletis in altum navigarunt insulasque petierunt (VI 95). Quarum quibusdam Carystoque, urbe Euboeae, subiectis Eretriam per sex dies oppugnatam septimo die proditione ceperunt (cc. 96—101, cf. Pausan. VII 10, 2). Paucis post diebus mancipiis Eretriensibus in insulam Styreorum, cui nomen erat Aegilea, missis (c. 107) ab Atheniensibus easdem poenas petituri in Atticam Hippia duce (c. 102) naves direxerunt. Quo de consilio Athenienses certiores facti, ut hostium impetum defenderent, Marathonem profecti sunt.[1]) Duxerunt autem illos decem

[1]) Ita verba Herodoti: „*ἔπλεον* (sc. Persae) *ἐς γῆν τὴν Ἀττικὴν — ἐς τοῦτό σφι κατηγέετο Ἱππίης ὁ Πεισιστράτου* (c. 102). *Ἀθηναῖοι δὲ ὡς ἐπύθοντο ταῦτα, ἐβοήθεον καὶ αὐτοὶ ἐς Μαραθῶνα* (c. 103)“ interpretanda sunt. Nam constat ex Herodoto VI 105, 107, 108 neque Persas iam in Atticam appulisse et Athenienses prius, quam illi navibus egressi essent, domo profectos esse. Verba enim c. 105 in.: „*Καὶ πρῶτα μὲν ἐόντες ἔτι ἐν τῷ ἄστεϊ οἱ στρατηγοὶ ἀποπέμπουσι ἐς Σπάρτην κήρυκα κ. τ. ἑ.*“ demonstrant ea, quae cc. 102 et 103 insunt, ab Herodoto esse praecepta; ac profecto c. 107 rerum ordine servato narratur Hippiam navibus Persarum in Atticam appulsis copias exposuisse, et c. 108 etiam Athenienses ad templum Herculis collocatos esse comperimus; itaque iure colligere possumus eodem fere tempore ab utraque parte et Persas et Athenienses Marathonem petiisse. In c. 116 quoque *Ἀθηναῖοι — ὡς ποδῶν εἶχον τάχιστα ἐβοήθεον ἐς τὸ ἄστυ*, nec Persae Athenas iam aggressi erant. Ac Phidippides, qui eodem fere tempore, quo exercitus urbem reliquit (id quod concludo ex verbis c. 105 in: „*Καὶ πρῶτα μὲν ἐόντες ἔτι ἐν τῷ ἄστεϊ κ. τ. ἑ.*“ convertens: „Ac priusquam ipsi ex

praetores, quorum decimus erat Miltiades (c. 103). Ac priusquam ipsi ex urbe exierunt, Phidippidem cursorem Spartam miserunt, ut auxilium a Lacedaemoniis peteret. Promiserunt quidem illi se opem laturos, sed orbe lunae non pleno proficisci sibi licere negarunt (cc. 105—106, cf. Pausan. I 28,4). Interim Hippias Persas in Marathonium sinum deduxit (c. 107), nam campus ille maxime opportunus equitibus proxime aberat ab Eretria (c. 102). Eodemque fere tempore Athenienses Marathonem ad hostes a finibus arcendos pervenerunt, quibus ante templum Herculis collocatis Plataeenses omnibus copiis auxilio advenere (c. 108, cf. Pausan. IX 4,2). Praetorum autem Atheniensium divisae erant sententiae, cum alii cum hostibus non confligendum, alii autem totidem, in quibus erat Miltiades, confligendum censerent; his cum Callimachus polemarchus esset assensus, decretum est, ut dimicaretur. Praetores autem, qui Miltiadis consilium adiuverant, cum singuli per singulos dies summum imperium tenerent, suum imperium illi concesserunt, qui tamen non commisit proelium, priusquam ipsius adesset dies legitimus (cc. 109—110). Illo igitur die aciem Atheniensium instruxit hunc in modum: Dextro cornui praefuit Callimachus Aphidnaeus polemarchus secundum legem, quae etiam tunc tenebat Athenienses. Decem autem tribus sortito ordine sese exceperunt; sinistrum cornu Plataeenses obtinuere. Acie Atheniensi, ut Persarum aequaretur, (quam latissime) extensa accidit (ἐγένετο τοιόνδε τι), ut media debilior esset, utrumque autem cornu firmatum (c. 111). Postquam litatum est, Athenienses cursu citato, confertis ordinibus (ἀθρόοι) aggressi sunt hostes, qui eos in campum decurrentes insanos esse arbitrati ad impetum eorum excipiendum sese compararunt (c. 112). Manibus

---

urbe exierunt, praetores nuntium misere Spartam"), Lacedaemoniis non dicit Persas in Atticam iam descendisse. Quod si factum esset, sane non omisisset, ut periculum eo gravius ante oculos eorum poneret (cf. Herod. VI 106). Omnes veteres recentioresque scriptores praeter Devasium p. 29 (P. Devaux, Mémoire sur les guerres médiques in Mémoires de l'acad. roy. des sciences, des lettres et des beaux-arts de Belgique, Tome XLI (1875) Athenienses non prius, quam Persae naves appulissent, Marathonem profectos esse falso narrant.

consertis diu pugnatum est. Persae et Sacae quidem mediam Atheniensium aciem mox vicerunt victamque in mediterranea pepulerunt, utrumque autem Persarum cornu facile fusum et fugatum est. Quo omisso victores Graeci confestim contra victricem mediam hostium aciem se converterunt, eam ceciderunt caesamque usque ad mare persecuti naves retinere et incendere conati sunt (c. 113). Ubi denuo pugna utrimque accensa Atheniensium ceciderunt Callimachus, praetor Stesilaus multique milites, inter quos Cynegirus abscisa dextra (c. 114). Septem amissis navibus (cf. Pausan. I 32,3) ceteris barbari Aegilea mancipiis Eretriensibus exceptis Sunium petierunt Athenas occupaturi.[2]) Ac cum iam naves conscendissent, clipeus de composito erectus est (c. 115). Athenienses autem confestim urbi auxilio venerunt et, priusquam naves hostium Phalerum petierunt, ante templum alterum Herculis in Cynosarge situm castra posuerunt (cf. (Frontin.) strategem. IV 7,43). Barbari autem aliquamdiu supra Phalericum portum in ancoris commorati in Asiam revecti sunt (c. 116). Persarum circiter sex milia quadringenti ceciderant, Atheniensium centum nonaginta duo. Plenilunio exspectato duo milia Lacedaemoniorum

---

[2]) Falso hunc locum interpretatus Mueller-Struebing. p. 442 (Zur Schlacht von Marathon: Jahrb. f. cl. Phil. 1879) iniuria fidem Herodoti labefactare studuit. Namque verba c. 115: „περιέπλεον Σούνιον“ et c. 116 in: „οὗτοι μὲν δὴ περιέπλεον Σούνιον. Ἀθηναῖοι δὲ ὡς ποδῶν εἶχον τάχιστα ἐβοήθεον ἐς τὸ ἄστυ καὶ ἔφθησάν τε ἀπικόμενοι — καὶ ἐστρατοπεδεύσαντο“ non significant Persis Sunium iam circumvectis demum Athenienses auxiliaturos Marathone in urbem decurrisse, sed „περιέπλεον,“ „ἐβοήθεον“ sunt „imperfecta de actione incepta“ neque rem iam perfectam esse declarant. Immo verba, ut apparet ex „ἐβοήθεον ἐς τὸ ἄστυ“ (cf. etiam c. 103 in. et p. 4 n. 1), ita interpretanda sunt: „Persis Sunium petentibus Athenienses (qui certe non minus quam hostes scutum erectum conspexerant) urbi auxiliaturi iter festinarunt. Atque cum prius quam barbari Athenas venissent, castra posuerunt“. Neque ex Herodoto effici potest eodem die, quo pugnatum est, Athenienses Athenas pervenisse. Ceterum Plutarchi narrationem (Arist. 5 p. 166 v. 10 sqq.: „ἠπείγοντο (sc. Athenienses) πρὸς τὸ ἄστυ καὶ κατήνυσαν αὐθημερόν“) idem homo doctus p. 442—45 primus recte in dubitationem vocavit, ac verisimillimum est postridie demum, quam erat pugnatum, Persas Aegileam reliquisse; cui sententiae non contradicit Herodotus.

(hoplitarum) domo profecta tertio die ad fines Atticae pervenerunt, sed pugna iam erat facta. Cum corpora mortuorum iacentia Marathone spectassent victoriamque laudassent, Spartam recesserunt (c. 120)“.

Postremo capp. 121, 123 — 124 Herodotus negat Alcmeonidas Persis clipeum ostendisse, quam suspicionem Atheniensium egregiis causis labefactare studet.

De fontibus fideque Herodoti videas infra p. 45 sqq.

I 2. **Plutarchus** (v. Aristidis 5 ed. Sintenis. min. vol. II [2] 1879) de pugna haec nobis refert:

„Datis[3]) cum exercitu missus a Dareo, ut Athenienses ob Sardes incendio vastatas ulcisceretur, re vera autem ut Graecos omnes subigeret[4]), Marathonem appulit et terram vastavit[5]). Inter decem praetores Atheniensium plurimum valuerunt Miltiades et Aristides[5]), qui illi arma cum hostibus

---

[3]) Herodotus mentionem facit Datis et Artaphrenis, apud plerosque autem scriptores Datis solus commemoratur. Ceterum Herodotus Artaphrenis tantum mentionem facit, quamdiu Persae in terra Asiatica sunt (cf. Herod. VI 94, 95, 119), bellum autem ipsum gerit Datis (cf. 97, 98, 118). In campum Marathonium exercitum Hippias deduxit aciemque instruxit (cf. 102, 107).

[4]) Religiose Plutarchus vel eius auctor ad Herodotum se applicavit. Conferas enim:

Herod. VI 44: *αὗται* (sc. Eretria et Athenae) *μὲν ὦν σφι πρόσχημα ἦσαν τοῦ στόλου· ἀτὰρ ἐν νόῳ ἔχοντες ὅσας ἂν πλείστας δύνωνται καταστρέφεσθαι τῶν Ἑλληνίδων πολίων.*
94: — *ἅμα δὲ βουλόμενος ὁ Δαρεῖος ταύτης ἐχόμενος τῆς προφάσιος καταστρέφεσθαι τῆς Ἑλλάδος τοὺς μὴ δόντας αὐτῷ γῆν τε καὶ ὕδωρ.*
103: — *ἦγον δέ σφεας στρατηγοὶ δέκα, τῶν ὁ δέκατος ἦν Μιλτιάδης.*

Plut. Arist. 5 in: *Ἐπεὶ δὲ Δᾶτις ὑπὸ Δαρείου πεμφθεὶς λόγῳ μὲν ἐπιθεῖναι δίκην Ἀθηναίοις, ὅτι Σάρδεις ἐνέπρησαν, ἔργῳ δὲ καταστρέψασθαι τοὺς Ἕλληνας εἰς Μαραθῶνα — κατέσχε —, τῶν δέκα καθεστώτων τοῖς Ἀθηναίοις ἐπὶ τὸν πόλεμον στρατηγῶν μέγιστον μὲν εἶχεν ἀξίωμα Μιλτιάδης.*

[5]) Discrepat vitae scriptor ab Herodoto VI 110, qui neque Aristidis mentionem facit neque omnes strategos Miltiadi suum imperium concessisse dicit. Neque Plutarchus commemorat Miltiadem imperium sibi delatum recusasse nec, quo die pugnatum sit. Soli autem Herodotus et Plutarchus vicis imperii memoriam nobis

esse conferenda censenti non solum assensus est[5]), sed etiam suum imperium tradidit[5]) itaque contentionem, quae inter praetores coorta erat, de medio sustulit; nam ceteri quoque imperium suum Miltiadi dederunt[5]). Cum deinde manus conserere coepissent, media acies Atheniensium, ubi iuxta constiterant tribus Leontis et Antiochis, quibus Themistocles et Aristides fortitudine inter se certantes praeerant[6]), maximum detrimentum accepit (cf. Herod. VI 113 in.). Tum vero hostes fugati atque in naves repulsi non in altum revecti, sed tempestate in Atticam deiecti sunt[6]). Itaque confestim Athenienses metuentes, ne hostes Athenas praesidio nudas[6]) occuparent, Aristide cum tribu sua relicto[6]) in urbem quam celerrime properantes eodem die[6]) pervenerunt." Hactenus Plutarchus.

---

tradiderunt et consilii in castris, non in urbe (cf. Nepot. Milt. 4) habiti. Quae res non parvi est aestimanda. Callimachi polemarchi (cf. Herod. VI 109. 110) non solum nullam mentionem facere, sed etiam eo posthabito merita Aristidis augere biographi est; qua re nostra de fonte Plutarchi opinio refelli nequit.

[6]) Haec omnia apud Herodotum non exstant et, ut infra p. 16 sqq. videbimus, merito nobis in dubitationem vocanda sunt, quamquam negare non possum Aristidem — nam sine dubio ille pugnae praetor interfuit — Miltiadi pugnandum censenti assensum esse satis credibile videri. Sed dubito, num idem proelio facto ad custodiendam praedam in campo relictus sit, in quo id ipsum suspicionem movet, quod ille „iustus" potissimum ad hoc munus est electus. Sed ut fabulam falsam illam comicorum, qua, quomodo Callias magnas opes sibi comparaverit, narratur, qua Plutarchus id unum demonstrare vult, quam diversus Aristides a Callia cognato (cf. Plut. Arist. 25: *Καλλίας ὁ δᾳδοῦχος ἦν αὐτῷ γένει προσήκων*) fuerit et quam modeste et abstinenter sese gesserit, praeteream — ceterum Callias Cecropidis tribus, non Antiochidis erat, cf. Mueller — Strueb. p. 446 n. —, vitam Aristidis perlegentes statim intellegemus ubique Aristidis plurimas res gerentis mentionem fieri saepiusque ab aliis facta ei tribui. Eodem iure in dubitationen vocari possunt, quae de Themistocle narrantur, qui unus ex strategis cum Aristide in acie certasse dicitur; quae res mihi ficta esse videtur, quoniam ubique occasione data (cf. Arist. v. 2, 3, 7—9) illi inter se certantes commemorantur. Eo accedit, quod ex Themist. v. 3 p. 222 v. 1 certe effici potest Themistoclem — ne dicam eum omnino non interfuisse pugnae — non praetorem fuisse. Cf. etiam Justin. II 9,15. Persas autem tempestate in Atticam deiectos, Athenas nudas a defensoribus fuisse eodemque die, quo pugna commissa erat, Athenienses in urbem venisse veridissimile est. Cf. Mueller-Strueb. p. 442—445.

Praeter ea, quorum mentionem inieci, cetera omnia cum Herodoto VI 113 fin., 115—116 concinunt. Qua reperta congruentia, quae quinque locis intercedit inter Herodotum et Plutarchum, apparet Plutarchum vel eius auctorem Herodoti historia usum esse. Quae opinio probabilissima est, quod de vice imperii, de consilio in castris habito, de media Atheniensium acie victa proelioque in littore facto de Persarum conatu Athenas navibus opprimendi soli Herodotus et Plutarchus inter se consentiunt neque alius auctor de his rebus quicquam nobis tradit; id quod ne dicas forte fortuna esse factum. Postremo loco non omittam Plutarchum alio loco (compar. Arist. c. Cat. 2 in.) etiam Callimachi et Cynaegiri mentionem facere.

Inquiramus nunc in Plutarchi vel auctoris eius fontes ac fidem, quae res cum nondum satis accurate pertractata sit[7]), facere non possum quin longius, quam in meam provinciam cadit, a proposito digrediar. Sed spero non frustra fore digressionem ac me ad Aristidis Plutarchei fontes recte eruendos aliquid esse collaturum.

Primo statim adspectu in oculos incurrit capp. 8—19 Arist. v. sine dubio ad Herodotum referenda esse. Nonnullos quidem locos, in quibus Plutarchus Herodotusque concinunt, ex illis capitibus Haeblerus p. 31—36 collegit, sed non omnes. Num Plutarchus ipse, ut ille p. 37 vult, ex Herodoto hauserit, in medio relinquo. Nam quamquam id negare nolo (cf. cc. 16 et 19), tamen ex capp. 1, 26, 27 apparet multa a multis viris et philosophis et historicis de Aristide „Justo“ iam esse scripta, qui praeter alios Herodotum

---

[7]) Cf. Heeren, De fontibus et auctoritate vitarum parallelarum Plutarchi commentationes IV, Gottingae 1820.

Haug, Die Quellen Plutarchs in den Lebensbeschreibungen der Griechen. Tübingen 1854.

Sintenis, Introd. in edit: „Aristides und Cato maior“, Berlin 1870.

C. A. vom Berg, Aristides. Erster Theil: Das Leben des Arist. bis zum Abschlusse seines Conflicts mit Themist., Göttingen 1871.

Haebler, Quaestiones Plutarcheae duae, Lips. 1873, quarum altera inscribitur „De Plutarchi fontibus in vitis Themist. et Arist.,“ p. 22—60.

Rose, De Aristidis Plutarchei fontibus, Gottingae 1874.

adiisse videntur. Eo accedit, quod c. 10 fin. Idomeneus laudatur, qui easdem fere res et eisdem fere verbis atque Herodotus IX 6—11 narrat. Atque eiusmodi sunt plerique loci, quibus Herodotus et Plutarchus inter se consentiunt.

Errat autem Rosius p. 8, quod Plutarchum omnes scriptores, quos laudaverit, ipsum inspexisse negat. „Et multo verisimilius est“, inquit, „non ipsum omnia ea collegisse et connexuisse, sed e fonte desumpsisse, quo iam hae res ita expositae erant, ut nunc apud Plutarchum scriptum legimus.“ Non recte opinatur, nam conferas Plutarch. Nic. 1 fin.: *„Ἃς γοῦν Θουκυδίδης ἐξήνεγκε πράξεις καὶ Φίλιστος, ἐπεὶ παρελθεῖν οὐκ ἔστι, —, ἐπιδραμὼν βραχέως καὶ διὰ τῶν ἀναγκαίων, ἵνα μὴ παντάπασιν ἀμελὴς δοκῶ καὶ ἀργὸς εἶναι, τὰ διαφεύγοντα τοὺς πολλούς, ὑφ' ἑτέρων δ' εἰρημένα σποράδην ἢ πρὸς ἀναθήμασιν ἢ ψηφίσμασιν εὑρημένα παλαιοῖς πεπείραμαι συναγαγεῖν κ. τ. ἑ.*, quibus verbis rationem suam scribendi dilucide exposuit. Nec rectius idem p. 10—16 Arist. vitae capp. 8—10 p. 172 v. 18 ex Ephoro desumpta esse inde suspicatur, quod ea congruunt cum v. Themist. capp. 11 in., 12 p. 232 v. 3—19, 16, quae (12, 14—17) Albrachtus, De Themistoclis Plutarchei fontibus, Gott. 1873, p. 32—48, ex Ephoro fluxisse existimat.[8]) Equidem illa capita eidem fonti, cui capp. 5, 10 v. 18—11 § 1, 12—19 § 3 debemus, tribuere velim. Quare locos, quibus Plutarchus Herodotusque inter se consentiunt, quos Haeblerus p. 31—33 nescio quo pacto non repperit, enumerabo. Eodem ordine (cf. Herod. VIII 79) res narrantes cum in rebus tum in verbis singulis concinunt:

---

[8]) Quae Albrachti sententia admodum controversa est. Nec silentio praetermittam Buengero, „Theopompea“, Argentor. 1874, p. 41 propter sermonis indolem Plut. Them. c. 16 ex Theopompo fluxisse itaque etiam Aristid. v. capp. 9 extr. et 10 in. eidem adiudicanda esse videri. Intellegis diversa ratione de fontibus Plutarchi concludi posse. Sed in subsequentibus Buengerus ipse de sua sententia, quantum quidem ad Arist. v. attinet, dubitat. Nec minus falso, ut capp. 23 et 24 omittam, capp. 7, 1—5 eidem Theopompo ob eandem causam vindicat p. 46—47

Cf. Plut. Arist. 8 p. 170 v. 2: *ὡς — αἱ βαρβαρικαὶ τριήρεις νύκτωρ ἀναχθεῖσαι καὶ περιβαλοῦσαι τόν τε πόρον ἐν κύκλῳ καὶ τὰς νήσους κατεῖχον, οὐδενὸς προειδότος τὴν κύκλωσιν ἧκεν ὁ Ἀριστείδης ἀπ' Αἰγίνης παραβόλως διὰ τῶν πολεμίων νεῶν διεκπλεύσας καὶ νυκτὸς ἐλθὼν ἐπὶ τὴν σκηνήν.*

Herod. VIII 76: *ἐπειδὴ ἐγίνοντο μέσαι νύκτες, — ἀνῆγον δὲ οἱ — τεταγμένοι, κατεῖχόν τε πάντα τὸν πορθμὸν τῇσι νηυσί —. ἐς δὲ τὴν νησῖδα τὴν Ψυττάλειαν καλεομένην ἀπεβίβαζον —.* 77: *οἱ μὲν δὴ ταῦτα τῆς νυκτὸς — παραρτέοντο.* 78: *— ἤδεσαν δὲ οὔκω ὅτι σφέας περιεκυκλεῦντο — οἱ βάρβαροι.* — 79: *διέβη Ἀριστείδης* — 81: *φάμενος ἐξ Αἰγίνης τε ἥκειν καὶ μόγις ἐκπλῶσαι λαθὼν τοὺς ἐπορμέοντας.*

In Them. v. c. 12 Plutarchus multo brevius narrat inclusionem Graecorum adventumque Aristidis, cuius Diodorus nusquam mentionem facit. Longum est orationes, quas Aristides et Themistocles apud utrumque (cf. Herod. VIII 79—80) habent, quantopere inter se congruant, comparare. Eaedem sunt sententiae, idem ordo earum:

Cf. Plut. Arist. 8 p. 170 v. 7: *„Ἡμεῖς ὦ Θεμιστόκλεις, εἰ σωφρονοῦμεν, ἤδη τὴν κενὴν καὶ μειρακιώδη στάσιν ἀφέντες ἀρξώμεθα σωτηρίου καὶ καλῆς φιλονεικίας πρὸς ἀλλήλους ἁμιλλώμενοι σῶσαι τὴν Ἑλλάδα."* — v. 22: *Ἅμα δ' αὐτῷ φράσας τὴν ὑφ' ἑαυτοῦ κατασκευασθεῖσαν ἀπάτην παρεκάλει πείθειν τὸν Εὐρυβιάδην —.*

Herod. VIII 79 v. 12: *„ἡμέας στασιάζειν χρεόν ἐστι ἔν τε τῷ ἄλλῳ καιρῷ καὶ δὴ καὶ ἐν τῷδε περὶ τοῦ ὁκότερος ἡμέων πλέω ἀγαθὰ τὴν πατρίδα ἐργάσεται —.* 80: *Ἴσθι γὰρ ἐξ ἐμέο τὰ ποιεύμενα ὑπὸ Μήδων· — ἄγγειλον.*

De altercatione quidem inter Cleocritum Corinthium et Themistoclem facta (cf. Plut. Arist. 8 fin.) nihil praebet Herodotus, sed in universum VIII 81 de rixa loquitur.

Quod ad Them. v. c. 12 p. 232 v. 3—8 attinet, haec verba quidem concinunt cum Diodoro XI 17, 2. Nihil autem praebet hic de exsilio et reditu Aristidis, nihil de eo participe

pugnae, ut Plutarchus caput 12 inde a p. 232 v. 8 usque ad finem e capite 8 Arist. v. transtulisse mihi videatur. Item Them. v. c. 11 in. — v. 13 ex Arist. v. c. 8 in. — p. 169 v. 32 translatum esse suspicor, quod iam Haeblerum p. 31 sensisse video. Nam neque illae vitae neque Camilli Catonisve neque Aristidis cum Catone comparatio quicquam exhibent, ex quo Themistoclis vitam prius quam Aristidis a Plutarcho conscriptam esse effici possit. Utcumque res est, procul dubio Plutarchum in hac parte vitae Themistoclis conficienda Herodoto vel scriptore usum esse, qui Herodoti vestigia presserit, comprobatur, quia eodem rerum ordine servato Herodotus VIII 82 in. et Plutarchus Them. 12 fin. idem eisdem fere verbis nobis referunt. Postquam enim Aristidem, ut ad hostem propulsandum sese compararent, Graecos adhortatum esse uterque narravit (cf. Herod. VIII 81), iisdem fere verbis adhibitis pergunt:

Plut. Them. 12 fin: *Ἔτι δ' ὅμως ἀπιστούντων ἐφάνη Τηνία τριήρης αὐτόμολος, ἧς ἐναυάρχει Παναίτιος, ἀπαγγέλλουσα τὴν κύκλωσιν.*	Herod. VIII 82 in: *Ἀπιστεόντων δὲ τούτων ἧκε τριήρης ἀνδρῶν Τηνίων αὐτομολέουσα, τῆς ἦρχε ἀνὴρ Παναίτιος — ἥ περ δὴ ἔφερε τὴν ἀληθείην πᾶσαν.*

Nihil praebet de hac re Diodorus. „E silentio eius non posse de fontis genere concludi“ quamquam non ignoro, tamen inter omnes constat in libro XI et qui sequuntur componendis Diodorum non nimis neglegenter Ephorum exscripsisse.

Transeamus ad Arist. v. c. 9. Initium huius capitis desumptum est ex Herodoto VIII 76 in. et 95, nam cf.:

Plut, Arist. 9 in: *Ἀριστείδης δ' ὁρῶν τὴν Ψυττάλειαν, ἣ πρὸ τῆς Σαλαμῖνος ἐν τῷ πόρῳ κεῖται νῆσος οὐ μεγάλη, πολεμίων ἀνδρῶν μεστὴν οὖσαν, ἐμβιβάσας εἰς ὑπηρετικὰ τοὺς προθυμοτάτους καὶ μαχιμωτάτους τῶν πολιτῶν προσέμιξε τῇ Ψυτταλείᾳ καὶ μάχην πρὸς τοὺς βαρβάρους συνάψας ἀπέκτεινε πάντας.*	Herod. VIII 76: —*ἐς τὴν νησῖδα τὴν Ψυττάλειαν, μεταξὺ Σαλαμῖνός τε κειμένην καὶ τῆς ἠπείρου πολλοὺς τῶν Περσέων ἀπεβιβάσαντο.* 95: — *παραλαβὼν πολλοὺς τῶν ὁπλιτέων* — , *γένος ἐόντες Ἀθηναῖοι, ἐς τὴν Ψυττάλειαν νῆσον ἀπέβησε ἄγων, οἳ τοὺς Πέρσας τοὺς ἐν τῇ νησῖδι ταύτῃ κατεφόνευσαν πάντας.*

Praeter Aeschylum Pers. v. 417 sqq. nullus alius scriptor Psyttaliae insulae expugnationem narrat. Neque vero, ut Haeblerus et Rosius contendunt, haec narratio ex Phania Lesbio fluxit. Ex hoc enim nihil nisi quae de tribus illis Persis captis narrantur manasse elucet ex Them. c. 13 fin. Quae sequuntur (Arist. v. 9 v. 18) cum Herodoto VIII 108 quidem non concinunt, sed tamen verba in brevius contracta Aristidis (ap. Plut.) cum pleniore Eurybiadis oratione (ap. Herod.) similitudinem quandam habent. Neque quicquam apud Diodorum XI 19, 5 de hac Eurybiadis sententia invenies; ex quo potius Ephorum nihil de pontium rescindendorum consilio tradidisse efficias, sed Themistoclem statim post pugnam factam de suo sensisse hostem reditu non esse intercludendum. Idem tradit Justinus II 13, 6. Nil igitur est, quod Arist. v. c. 9 auctorem Herodotum secutum esse censenti mihi opponatur.

Quod ad Them. v. c. 16 attinet, ut mea quidem fert opinio, sola verba p. 235 v. 23—32: „*πέμπει — ἀναχώρησιν*“ ex Ephoro deprompta sunt. Cf. Diod. XI 19, 5, 6. Priorem autem partem eius capitis non satis constat ex eodem fonte fluxisse. Cf. Albrachtum p. 41—43.

Inquiramus denique in fontem Arist. v. c. 10 — p. 172 v. 18 (— *Οὐ μὴν ἀλλά*). Locos, quibus Plutarchus et Herodotus concinunt, Haeblerus p. 32—33 iam collegit. Cf. Herod. VIII 140—144, IX 6—11. Haec autem adiungere mihi liceat. Epistulas ad Graecos a Mardonio missas esse solus Plutarchus commemorat, ad quem errorem adductus esse videtur, quod falso collegit, ut Atheniensibus, ita etiam ceteris Graecis Mardonium litteras scripsisse; nam cf. quae sequuntur: „*Πρὸς δὲ Ἀθηναίους ἔπεμψεν ἰδίᾳ γράμματα καὶ λόγους παρὰ βασιλέως*“, qui locus spectat ad Herod. VIII 140 in. Cf. Rosium p. 15—16. Diodorus XI 28 vero prorsus abhorret a Plutarcho. Nihil enim exhibet de legatis Atheniensium Spartam missis, nihil de clarrissimo illo responso Lacedaemoniis dato. Nulla igitur causa inveniri potest, cur exordium capitis 10 Ephoro tribuamus. Sed iam ad eam partem eiusdem capitis perveni, quam Rosius ipse Ephoro non adiudicat, sed recte p. 18 sqq. capita 10 v.

18—11 § 1, 12—19 § 3 ex eodem fonte, e quo capp. 1—7, 22, 24 § 4 — 27, fluxisse existimat. Atque Haeblerus quoque p. 33—36 maiore diligentia e capitibus 11—19 locos collegit, ex quibus, quanta similitudo sit inter Herodotum et Plutarchum, bene efficitur. Sed nonnullos locos omisit, quos hic adiungere mihi liceat:

1) Plut. Arist. 15 v. 19: *Εἰμὶ μὲν Ἀλέξανδρος ὁ Μακεδών, ἥκω δὲ κινδύνων τὸν μέγιστον εὐνοίᾳ τῇ πρὸς ὑμᾶς αἱρόμενος, ὡς μὴ τὸ αἰφνίδιον ἐκπλήξειεν ὑμᾶς χεῖρον ἀγωνίσασθαι.* v. 3 p. 179: *Λεχθέντων δὲ τούτων — ἀπήλαυνεν ὀπίσω.*	Herod. IX 45 v. 19: — *ὃς Ἑλλήνων εἵνεκα οὕτω ἔργον παράβολον ἔργασμαι ὑπὸ προθυμίης, ἐθέλων ὑμῖν δηλῶσαι τὴν διάνοιαν τὴν Μαρδονίου, ἵνα μὴ ἐπιπέσωσι ὑμῖν ἐξαίφνης οἱ βάρβαροι μὴ προσδεκομένοισί κω. εἰμὶ δὲ Ἀλέξανδρος ὁ Μακεδών.“ ὁ μὲν ταῦτα εἴπας ἀπήλαυνε ὀπίσω.*
2) Id. 18 p. 183 v. 8: — *ἐπεὶ* — *παρῆν, ὥς φασιν, ἄγγελος παρὰ Παυσανίου τὰ γινόμενα φράζων, ὥρμησαν κατὰ τάχος βοηθεῖν. Καὶ προχωροῦσιν αὐτοῖς διὰ τοῦ πεδίου πρὸς τὴν βοὴν ἐπεφέροντο τῶν Ἑλλήνων οἱ μηδίζοντες.*	Id. IX 60 in: *Παυσανίης δέ,* — *πέμψας ἱππέα λέγει τάδε.* — 61: *Ταῦτα οἱ Ἀθηναῖοι ὡς ἐπύθοντο, ὁρμέατο βοηθέειν καὶ τὰ μάλιστα ἐπαμύνειν· καί σφι ἤδη στείχουσι ἐπιτίθενται οἱ ἀντιταχθέντες Ἑλλήνων τῶν μετὰ βασιλέος γενομένων.*
3) Id. 18 p. 183 v. 17: *περὶ πεντακισμυρίους οὖσιν.*	Id. IX 32 fin.: *ἐς πέντε μυριάδας.*
4) Id. 19 in: *καὶ τὸν Μαρδόνιον ἀνὴρ Σπαρτιάτης ὄνομα Ἀρίμνηστος ἀποκτίννυσι λίθῳ τὴν κεφαλὴν πατάξας.*	Id. IX 64 v. 7: — *ἀποθνήσκει δὲ Μαρδόνιος ὑπὸ Ἀειμνήστου ἀνδρὸς ἐν Σπάρτῃ λογίμου.*
5) Id. 19 p. 184 v. 4: *Ὀλίγῳ δ' ὕστερον Ἀθηναῖοι τοὺς Θηβαίους τρέπονται τριακοσίους τοὺς ἐπιφανεστάτους καὶ πρώτους διαφθείραντες ἐν αὐτῇ τῇ μάχῃ.*	Id. IX 67 v. 4: *οἱ γὰρ μηδίζοντες τῶν Θηβαίων, οὗτοι εἶχον προθυμίην* —, *οὕτω ὥστε τριηκόσιοι αὐτῶν οἱ πρῶτοι καὶ ἄριστοι ἐνθαῦτα ἔπεσον ὑπ' Ἀθηναίων.*

Numerus mortuorum apud Plutarchum c. 19 idem est atque apud Herodotum IX 70 fin., Diodorus autem XI 33 in. supra decem milia Graecorum in acie occubuisse nobis

tradit. Ephorus nusquam in Arist. v. cc. 5, 8—20, quibus pugnae Marathonia, Salaminia, Plataeensis narrantur, a Plutarcho vel eius auctore evolutus esse mihi videtur. Nihil enim exhibet Diodorus XI 30 de numero octo milium exercitus Atheniensis (cf. Plut. Arist. 11 in. = Herod. IX 28 fin.), nihil de castrorum Persicorum laterum longitudine (cf. Arist. 11 v. 32 p. 173 = Herod. IX 15 fin.), nihil de verborum contentione inter Tegeatas et Athenienses orta (cf. Arist. 12 = Herod. IX 26—28), nihil denique de Amomphareto (cf. Arist. 12 = Herod. IX 53—55).

Ut alio exemplo utar, Diodorus XI 30—33 pugnam Plataeensem longe secus narrat atque Herodotus IX 15—90, quocum Plutarchus Arist. 11—19 in universum, imprimis autem in ordine rerum gestarum consentit. Sed longum est omnes locos, quibus Diodorus et Plutarchus inter se discrepant, enumerare, praesertim cum eos perbene Rosius p. 17—31 collegerit.

Immo omnia, quae de proeliis Marathonio, Salaminio, Plataeensi apud Herodotum inveniri potuerunt, apud Plutarchum ex eo solo deprompta sunt. Quae ille, ut exemplo utar, libro nono narrat, ea omnia optime in brevius contracta sunt, ordo rerum raro mutatus est, multae tamen res sunt additae, saepiusque Plutarchus et Herodotus inter se dissentiunt. Quod si tamen non Plutarchum ipsum Herodotum adiisse credas, sed iam auctorem eius aliquem, quis fuerit ille, difficile est dicere. In promptu est suspicio de Idomenei Lampsaceni „περὶ δημαγωγῶν“ libro, qui scriptor c. a. 310—270 a. Chr. n. floruit. In capp. enim 1, 4, 10 nominatim laudatus est, nec Plutarchus ex eo narratiunculam additamentumve aliquod sumpsit, sed res gestas. Deinde ea quoque, quae sequuntur et praecedunt, e nullo alio fonte hausta esse videntur. Denique p. 10 iam vidimus Idomeneum Herodoto usum esse. Iam vero consentaneum est Plutarchum fonti primario multa et varia vel aliunde petita vel de suo addidisse. Ac quidem Plutarcho ipsi capita 6, 11 p. 174 v. 3 — fin., 19 v. 22 p. 184—21 tribui velim. Cf. Rosium p. 19—21, 33—38.

In fidem denique Plutarchi inquirentes sane non magnam esse eam invenimus. Omnes enim res maxima diligentia

quasi coacervatae sunt et nimio quidem studio mirarum et novarum rerum. Qua re quamvis nostra suspicio moveatur, augetur, quod, cum Herodotus aut plane sileat aut in universum tantum de Atheniensibus vel de eorum ducibus loquatur, Plutarchus occasione data virtutes et merita Aristidis praedicat semperque eum plurimas res gerentem facit. Laudare liceat exempla.

Ante pugnam Marathoniam omnes duces, cum ab Aristide eis persuasum esset, Miltiadi imperium concesserunt. Fortiter pugnantes inter se certant Aristides et Themistocles, proelioque commisso ad custodiendam praedam relictus est ille (cf. Plut. Arist. c. 5). Nihil praebet de hac re neque Herodotus neque alius quisquam. Tum Herodotus VIII 108 testatur non Aristidem, ut Plutarchus Arist. 9 v. 18 p. 171 narrat, sed Eurybiadem Themistoclis consilium vituperasse. Deinde nemo nisi Plutarchus 10 v. 19 sqq. p. 172 tradit Aristidem et populiscitum, quo legatis Persarum et Lacedaemoniorum responderetur, tulisse et delegatum esse Spartam. Testem producit Idomeneum. Simul autem eum erroris convincit populiscito Aristidis inspecto, quod certe in Crateri „ψηφισμάτων συναγωγῇ“ legerat (cf. etiam Arist. v. 26 p. 192 v. 32 sqq.), in quo Aristides non ipse, sed Cimon, Xanthippus, Myronides legati nominati erant. Cum populiscito consentit Herodotus IX 6 sqq. Quae deinde Plutarchus in cap. 11 p. 174 v. 3 narrat de oraculo, quod Aristidi contigerat, cum nusquam alibi reperiantur, iure in dubitationem vocanda sunt. Tegeatas et Athenienses inter se de sinistro cornu certasse narrans nullo verbo Herodotus IX 26—28 commemorat Aristidem Tegeatis esse oblocutum; Plutarchus autem occasionem non omisit Aristidis iterum mentionem faciendi (c. 12 in.). Praetereo coniurationem ad rempublicam evertendam a nobilibus quibusdam Atheniensibus in castris ante pugnam Plataeensem factam et ab Aristide compressam, de qua quamvis credibili, quod Plutarchus solus eius auctor est (c. 13), certum iudicium fieri posse equidem nego. Denique ut in cap. 12, ita in capp. 14 p. 177 v. 14, 15 p. 178 v. 18, 16 in. aut in Atheniensium (cf. Herod. IX 21, 60) aut in eorum ducum locum (cf. Herod. IX 44 med.)

Aristidem substituit. Postremo Plutarchus testatur solus Aristidem in pugna Graecis, qui a parte Persarum stabant, occurrentibus obviam ivisse et, ne secum pugnarent, orasse.

Ex his exemplis prorsus apparet Plutarcho magnam fidem tribui vix posse. Ut igitur ad caput 5 redeam, praeter illud, Aristidem unum ex praetoribus fuisse, de omnibus aliis merito dubitabis, quae Plutarchus vel eius auctor narrationi Herodoteae adiunxit. Haec hactenus.

I 3. Ad **Suidam** transgrediamur, qui s. v. *Ἱππίας* haec de pugna nobis tradit: „Hippias patria eiectus Persas in societatem belli ascivit intellegens magna cupidine Atticae Dareum esse affectum mirifica illa causa, quia noluit ficos Atticae amplius crescere in libera terra, sed ipsi subiecta.[1]) Hippias igitur contra suam patriam cum Persis profectus vehementer sternutans dentem ex ore excussit nec reperire potuit (cf. Herod. VI 107 med., quocum concinit Suidas). Victis autem barbaris Lemnum fugit, ubi in morbum incidens visum amisit et mortuus est[2]).“

Praeter hanc novissimam narrationem nil nisi fabulas continet fragmentum. Sed tamen argumenta duo praebere videtur, quibus Justini II 9, 7—21 vel potius Trogi Pompei auctorem Herodoti vestigia pressisse confirmetur. Nam Justinus quoque Hippiam refert mortem obiisse idque in pugna Marathonia.[3]) Etsi Suidas rem aliter narrat, tamen eisdem fere verbis uterque scriptor usus est: Cf. enim

Justin. II 9, 21: Cecidit et Hippias — dis patriae ultoribus poenas repetentibus.	Suid. s. *Ἱππ.* fin: — *δίκας ταύτας δοὺς τῇ πατρίδι,* —, *μηνῖσαί τε τοὺς πατρίους θεούς.*[4])

[1]) Cf. Herod. VII 5 fin: *Οὗτος μέν οἱ* (sc. Mardonio) *ὁ λόγος ἦν τιμωρός· τοῦδε δὲ τοῦ λόγου παρενθήκην ποιεέσκετο τήνδε, ὡς ἡ Εὐρώπη περικαλλὴς εἴη χώρη, καὶ δένδρεα παντοῖα φέρει τὰ ἥμερα, ἀρετήν τε ἄκρη, βασιλέι τε μούνῳ θνητῶν ἀξίη ἐκτῆσθαι.*

[2]) Quamquam Herodotus ea de re silet, tamen non est, cur in dubitationem vocanda sit. Aliter Grotius, Gesch. Griechenl. II [1] p. 600 n. 81. Cf. Herod. VIII 11 et 82.

[3]) Hanc rem falsam esse demonstratur, quia neque Herodotus neque Thucydides VI 59 fin. de ea quicqam praebent.

[4]) Cf. Cic. ad Att. IX 10: — nefarius Hippias, Pisistrati filius, qui in Marathonia pugna cecidit, arma contra patriam ferens.

Inspice porro Justinum II 9, 7 et adhibe similem locum Suidae s. Ἱππ:

Justin:	Suid:
Hippias regno pulsus — ducem se Dareo — adversus patriam suam offert.	Ὁ δὲ ἐκπεσὼν ἐκ πατρίδος ἐπήγετο τοὺς Πέρσας συμμάχους — ἰὼν μὲν οὖν ὅδε Ἱππίας ἐπὶ τὴν ἑαυτοῦ πατρίδα.

I 4. Sed videamus, quae **Justinus** (Trogi Pompeï histor. Philippicar. epit. l. II 9, 7—21) de pugna exhibeat: „Hippias regno pulsus ducem se Dareo inferenti Atheniensibus bellum adversus patriam suam offert (cf. Herod. VI 94). Audito Darei adventu Athenienses a Lacedaemoniis petiverunt auxilium,[5]) quod, ubi illos quatridui teneri religione viderunt,[6]) non exspectantes cum decem milibus hoplitarum et Plataeensibus auxiliaribus mille adversus sescenta milia hostium Miltiade duce egrediuntur et castra non ponentes statim manus conserunt.[7]) Miltiades ad proelium committendum incitans (cf. Herod. VI 109), ut iactum sagittarum telaque Persarum evitet, citato cursu spatium mille passuum percurrens hostem aggreditur (cf. Herod. VI 112, spatium apud utrumque idem est). Victi Persae in naves confugerunt, quarum multae suppressae, multae captae sunt. Inter pugnantes Themistocles adulescens et Cynaegirus, qui utraque manu amputata ad postremum morsu navem detinuit, emicuerunt. Ducenta milia Persae seu proelio sive naufragio amisere. Cecidit etiam Hippias."

Clades Persarum rhetorice exaggerata est. Iterum

[5]) Cf. Herod. VI 105. Dareus Justini levitate commemoratus est, nam in prologo libri II Datis et Artaphernes (codd. exhibent Tisafernem) duces traduntur.

[6]) Cf. Herod. VI 106 fin.; quamquam apud Justinum numerus dierum festorum falsus est. Nepos nihil de hac re narrat.

[7]) Recedit Justinus ab Herodoto VI 108 Plataeenses Atheniensibus se coniunxisse cum Atheniensibus referens. Tum apud Herodotum et Atheniensium Plataeensiumque et Persarum numerus desideratur. A Nepote autem Justini numeri discrepant, ut omittam numerum Persarum a Trogo vel a Justino rhetorice esse exauctum. Denique Herodotus VI 103 mentionem facit decem praetorum neque narrat VI 108 sqq. Athenienses, cum Marathonem venissent, statim hostes esse aggressos.

autem monendum est ab aliis scriptoribus nec pugnam illam ad naves commissam commemoratam esse nec cursum Atheniensium. Themistoclis non mentionem facit Herodotus. Neque vero minimi est momenti, quod soli Plutarchus, Arist. 5, et Justinus Themistoclem proelio interfuisse tradunt. Cf. etiam Plut. Them. 3: „ὥστε νέος ὢν ἔτι τῆς ἐν Μαραθῶνι μάχης πρὸς τοὺς βαρβάρους γενομένης“. Procul dubio igitur Themistocles pugnae particeps fuit. De Cynaegiro cf. Herod. VI 114. Denique non omittam apud Nepotem nec de Themistocle nec de Cynaegiro nec de ducentis milibus Persarum amissis nec de Hippia Marathone mortuo quicquam reperiri.

Hactenus Justini narratione pugnae cum Herodoti comparata luce clarius est illum sua deprompsisse ex eo fonte, qui patre historiae usus sit. Huc accedit, quod etiam ordo rerum apud utrumque idem est. Pugna enim narrata Justinus, ut Herodotus, singulorum fortium virorum ac postremo Persarum cladis mentionem facit. Neque vero Justinus praeter exercitus Graeci numerum novi quicquam ad Herodoti narrationem attulit. Namque, ut quae de Cynaegiro narrantur omittam, quae addidit — sescenta milia hostium fuisse, multas naves suppressas, multas captas esse, ducenta milia Persas seu proelio sive naufragio amisisse, Hippiam cecidisse —, ea merito dubitationem nobis movent.

Jure miror esse,[8]) qui in Justini epitome ullum vestigium Herodoti reperiri negent. Itaque facere non possum quin longius, quam par est, a proposito digressus praeter nostrum locum etiam alios a Trogi auctore ex Herodoto sumptos esse demonstrem. Cuius digressionis veniam me impetraturum esse spero.

Omitto librum primum, nam inter omnes homines doctos constat in rebus a Persis gestis inde ab origine Cyri usque ad Dareum multa vestigia Herodoti exstare. Cf. A.

---

[8]) Hil. Wolffgarten, De Ephori et Dinonis historiis a Trogo Pompeio expressis, Bonnae 1868. Cf. etiam

Heeren, Commentatio de Trogi Pompei eiusque epitomatoris Justini fontibus et auctoritate: Comment. soc. Gotting. XV p. 234 sqq; iterum eam typis excussit Frotscherus in edit. Justini ex recens. A. Gronovii vol I p. XLV — XCVII Lips. 1827.

v. Gutschmid in Jahrb. f. cl. Phil. II. Suppl.-Bd. p. 191. Quae deinde de Scythis tradit Justinus II 1—4, ex alio scriptore petita esse res ipsa docet. Sed in cap. 5 multa et praeclara vestigia Herodoti in oculos incurrunt, quae non solum Heerenium, l. l. part. alt. § 7, ap. Frotsch. p. LXIX, effugerunt, sed etiam Wolffgartenium p. 68. Cf. enim:

Justin. II 5, 1: Scythae — cum annis octo a coniugibus et liberis afuissent.	Herod. IV 1 v. 10: *τοὺς δὲ Σκύθας ἀποδημήσαντας ὀκτὼ καὶ εἴκοσι ἔτεα.*

Error de numero annorum Justini vel librarii neglegentia commissus esse mihi videtur.

Id. II 5, 4: Quibus cum varia victoria fuisset, admonentur Scythae mutare genus pugnae — verbera in aciem, non arma adferenda.	Id. IV 3 v. 8: *γινομένης δὲ μάχης πολλάκις — εἷς αὐτῶν ἔλεξε τάδε. — „νῦν ὦν μοι δοκέει αἰχμὰς μὲν καὶ τόξα μετεῖναι, λαβόντα δὲ ἕκαστον τοῦ ἵππου τὴν μάστιγα ἰέναι ἆσσον αὐτῶν.*
Id. II 5, 5: Probato omnes consilio instructi sicut praeceptum erat, postquam ad hostem accessere, inopinantibus verbera intenta: adeoque illos perculerunt.	Id. IV 4 in: *ταῦτα ἀκούσαντες οἱ Σκύθαι ἐποίευν ἐπιτελέα· οἱ δ' ἐκπλαγέντες τῷ γινομένῳ τῆς μάχης τε ἐπελάθοντο καὶ ἔφευγον.*

Hactenus de bello a Scythis contra servos gesto, quod ex Herodoto depromptum esse nemo negabit. Sed etiam quae eiusdem capitis fine de Darei in Scythas expeditione narrantur, ex Herodoto fluxerunt. Nam cf:

Justin. II 5, 10; armatis septingentis milibus.	Herod. IV 87 v. 6: *τούτων μυριάδες ἐξηριθμήθησαν ἑβδομήκοντα* (= Suidas s. v. *Δαρεικός*).

Ctesias, Pers. fr. 17, ab utroque auctore discedit: „*Στράτευμα δὲ ἀγείρας Δαρεῖος, ὀγδοήκοντα μυριάδας*". Cf. porro:

Justin. II 5, 10: — non facientibus hostibus pugnae potestatem metuens, ne inter-	Herod. IV 120 in: *ἐβουλεύοντο ἰθυμαχίαν μὲν μηδεμίαν ποιέεσθαι ἐκ τοῦ ἐμφανέος* —,

rupto ponte Histri reditus sibi intercluderetur, amissis LXXX milibus hominum trepidus refugit: quae iactura abundante multitudine inter damna numerata non est.

ὑπεξιόντες δὲ καὶ ὑπεξελαύνοντες τὰ φρέατα κ. τ. ἑ.

134 fin: — δοκέει — ἀπαλλάσσεσθαι, πρὶν ἢ καὶ ἐπὶ τὸν Ἴστρον ἰθῦσαι Σκύθας λύσοντας τὴν γέφυραν.

143 fin: τότε δὲ αὐτὸν ὑπέλιπε στρατηγὸν ἔχοντα τῆς στρατιῆς τῆς ἑωυτοῦ ὀκτὼ μυριάδας.

c. 1 in: ἀνθεύσης γὰρ τῆς Ἀσίης ἀνδράσι.

Totum igitur caput quintum ex Herodoto haustum videtur. Quae deinde de Atheniensium originibus dicuntur, cc. 6—9, 7, ex alio scriptore petita sunt. Wolffgartenius p. 44 falso de Ephoro cogitat. Tum vero inde a capite 9, 7 auctor Trogi Pompei denuo Herodotum adiit et sine dubio usque ad Justin. II 10, 17 expressit. Cf. Wolffgartenium p. 22—26, 69 sqq. In narratione contentionis (II 10, 1—11) inter Darei filios de successionis iure coortae primo statim obtutu vestigia Herodoti VII 2—3 reperiuntur. Praemonendum mihi est de hac re apud nullum scriptorem nisi apud Plutarchum, de fraterno amore p. 488 F (Moralia III p. 592 c. 18 ed Duebn.) quicquam exstare. Cf.:

Justin. II 10, 1: — relictis m u l t i s filiis et in regno et ante regnum susceptis. Ex his Ariaemenes maximus natu aetatis privilegio regnum sibi vindicabat, quod ius et ordo nascendi et natura ipsa gentibus dedit etc.

Herod. VII 2 v. 4: ἦσαν γὰρ Δαρείῳ καὶ πρότερον ἢ βασιλεῦσαι γεγονότες τρεῖς παῖδες — καὶ βασιλεύσαντι — ἕτεροι τέσσερες· — ὁ μὲν Ἀρτοβαζάνης κατότι πρεσβύτατός τε εἴη — καὶ ὅτι νομιζόμενον εἴη πρὸς πάντων ἀνθρώπων τὸν πρεσβύτατον τὴν ἀρχὴν ἔχειν κ. τ. ἑ.

Multis quidem rebus quamvis Justinus dissentiat ab Herodoto — qui Darei filium Artobazanem nominat et vivo patre contentionem coortam esse ac Demaratum arbitrum domestici discidii exstitisse refert — tamen narrationis, quam

Trogi auctor secutus est, cuiuscumque aetatis posterioris est, fons primarius Herodotus est. Duobus quidem locis Justinus convenit cum Plutarcho l. c. — uterque enim Dareo mortuo litem coortam esse et munera a Xerxe et Ariamene (Justinus exhibet Ariaemenem) invicem missa memoriae tradidit — ceteris autem maxime differunt. Plutarchus enim cum moneat Persarum alios Ariamenem, alios Xerxem regem esse postulasse ac denique Artabanum litis iudicem designasse, Justinus narrat Darei filios ipsos de regno contendentes Artaphernem, ut discidium dirimeret, adiisse. Nihil igitur habet Wolffgartenius p. 69 sqq., cur hanc narrationem ex Plutarchi fonte depromptam esse contendat. Pro certo contra statui potest Trogi auctorem atque Plutarchum secutos esse diversos scriptores, horum autem utrumque Herodoti vestigia pressisse. Ut ex cap. 9, ita ex hoc loco intellegitur Trogum Pompeium sua e fonte hausisse, qui ipse aliorum narrationes iam coniunxerat. De hac re bene disseruit Wolffg. p. 74 sqq.

Demarati denique dolus (10, 12—17) ex Herodoto fluxisse videtur, quamquam ea sententia incerta est. Sed tamen iudicio meo favet, quod haec narratio in singulis rebus prorsus cum Herodoto VII 239 convenit neque apud alium invenitur.

Inter ea, quae sequuntur (II 10, 18 sqq.), atque Herodotum congruentiam intercedere dici nequit, quamquam nil certi Wolffg. p. 26—27 exhibet, unde Ephorum esse fontem efficere liceat. Ne omittas inde a Justin. II 10, 12 Trogum ad novam narrationem, ad apparatum a Xerxe ad bellum factum describendum transgressum esse; qua in re fieri potuit, ut alium fontem adiret. Quae autem Justinus summatim uno capite refert, ea haud dubie a Trogo pluribus exposita erant, ita ut colligere non debeamus in uno Justini capite omnia ex eodem auctore recepta esse.

Sed a fontibus Trogi indagandis desistamus; nam ea quae sequuntur usque ad finem libri secundi ex Ephoro deprompta esse Wolffgartenio assentior.

Cap. 9, 7—21 autem ad Herodotum referendum esse luce clarius est, praesertim cum viderimus aliis quoque locis

eum ab auctore Trogi in usum esse conversum. De fide et auctoritate Justini iam supra dixi. Quod postremo ad Trogum attinet, Gutschmidius in Literar. Centralbl. 1872 p. 659 perbene iudicavit eum opus auctoris Graeci — cogitat homo doctus de Timagene, de quo videas Dionys. X 1, 75, Horat. epist. I 19, 15, Senec. epist. 91, de ira III 23 — in Latinum sermonem vertisse. Haec hactenus.

Transeamus nunc ad alteram capitis prioris partem, qua in Nepotem, Diodorum, Suidam l. l., Crameri Anecd. Gr. Oxoniens. IV 154, Ps. — Plutarchum l. l. nobis inquirendum est.

II 1. Haec est apud **Nepotem** (Miltiad. v. 4, 5) descriptio pugnae:

„Hortantibus amicis, ut Graeciam redigeret in suam potestatem, Dareus classe quingentarum navium[9]) comparata exercituque ducentorum milium peditum et decem equitum[9]) instructo Datim et Artaphernem adversus Graecos misit, qui celeriter Eretria capta omnibusque urbis civibus ad regem in Asiam missis (quae discrepant ab Herodoteis VI 101, 107) ad Atticam accesserunt. Hoc tumultu perterriti Athenienses nusquam nisi a Lacedaemoniis[1]) auxilium petiverunt Phidippumque cursorem[1]) Spartam miserunt."

Quae nunc sequuntur nonnullis locis, quos facile cognosces, exceptis prorsus discrepant ab Herodoto. Nepos enim narrare pergit:

„Domi autem creant decem praetores, in eis Miltiadem

---

[9]) Herodotus VI 95 sescentarum navium numerum exhibet neque quicquam praebet de multitudine exercitus pedestris. Ps. — Plato Menex. 240 loquitur de trecentis triremibus (cf. p. 34 n. 5). Praeter hos nemo numerum Persarum navium nobis tradit. Omitto eandem istius belli causam ab omnibus fere et scriptoribus et oratoribus eisdem paene verbis redditam esse; ac praeter Herod. VI 44, 96, Plut. Arist. 5, Nepot. Milt. 4 cf. Ps. — Lysiam, Laud. fun. 21, Ps. — Plat., Menex. 240, Aristid., Panath. 197, Himer., Orat. polemarch. 14 sqq., Agathiam II 10, alios. Temere addit Nepos praesidia regia Sardibus interfecta esse; Herodoto V 100 enim teste Artaphrenes cum praesidio incolumi arcem Sardium obtinuit. Denique silentio praetermittere nolim Datim et Artaphernem etiam apud Herodotum VI 94 exstare.

[1]) Consentit Nepos cum Herodoto VI 105 atque eodem conexu, quo ille, cursoris mentionem faciens argumentum grave nobis praebet,

(cf. Herod. VI 103 in.). Inter quos magna fuit contentio, utrum moenibus se defenderent an obviam irent hostibus. Unus Miltiades maxime nitebatur, ut acie decernerent[2], quae sententia, cum mille Plataeenses auxilio Athenas venissent (cf. Herod. VI 108 in.), itaque decem milia armatorum completa[3]) mirabili flagrarent pugnandi cupiditate, vicit; et Athenienses copias ex urbe eduxerunt locoque idoneo castra posuerunt.“

Sequitur campi Marathonii et pugnae postero die[4]) commissae descriptio, quae Nepoti soli propria est: „Dein postero die sub montis radicibus acie regione instructa non apertissuma proelium commiserunt (namque arbores multis locis erant rarae), hoc consilio, ut et montium altitudine tegerentur et arborum tractu equitatus hostium impediretur, ne multitudine clauderentur. Datis etsi non aequum locum videbat suis,

---

ex quo auctorem eius vestigia Herodoti pressisse efficiatur. Cf. enim:

Nep. Milt. 4: — auxilium nusquam nisi a Lacedaemoniis petiverunt Phidippumque, cursorem eius generis, qui hemerodromoe vocantur, Lacedaemonem miserunt.	Herod. VI 105 in: *ἀποπέμπουσι ἐς Σπάρτην κήρυκα Φειδιππίδην Ἀθηναῖον μὲν ἄνδρα, ἄλλως δὲ ἡμεροδρόμην.*

„*Φειδιππίδης*“ exhibet, ut plerique codices, Herod. VI 105, 106; „*Φιλιππίδης*“ Pausan. I 28, 4, VIII 54, 6, Suid. s. *Ἱππ. Ἀθην. τύρ.* = Anecd. Gr., (Plut.) de Herod. malign. 26, Lucian. *ὑπὲρ τ. πταίσμ.* 3, Pollux III 148, Liban. IV 338, Schol. Arist. p. 51, 215. Frommel., Solin. I p. 98, Schol. Clement. Alex. T. IV p. 111, Plin. hist. nat. VII 20; „Phidippus“: Nep. Milt. 4, alii autem libri „Philippus“. Duo codd. Herodoti cum Valla: „*Φιλιππίδης*“. Suidae et Crameri fragmenta ex Nepotis auctore manasse infra videbimus.

²) Herod. VI 109. 110 de consilio praetorum in castris habito loquitur, ac quae Nepos Miltiadem, ut collegas ad suam sententiam adduceret, dixisse refert, apud illum frustra quaeres.

³) Cf. Schol. Aristoph. Eqq. 781: „— *μόνων Πλαταιέων συμμαχησάντων αὐτοῖς χιλίοις ἀνδράσι καὶ οὕτω πληρωθέντος τοῦ ἀριθμοῦ τῆς Ἑλληνικῆς δυνάμεως;*“

⁴) Cf. Plutarch. de glor. Atheniens. 8: „*Μιλτιάδης μὲν γὰρ αὐτὸς ἐς Μαραθῶνα τῇ ὑστεραίᾳ τὴν μάχην συνάψας, ἧκεν εἰς ἄστυ μετὰ τῆς στρατιᾶς νενικηκώς*“, quorum verborum ordinem cur Mueller-Struebing. p. 447 inverterit legens: „*ἐς Μαραθῶνα τὴν μάχην συνάψας, τῇ ὑστεραίᾳ ἧκεν κ. τ. ἑ.*“, non intellego.

tamen fretus numero copiarum suarum confligere cupiebat eoque magis, quod, priusquam Lacedaemonii subsidio venirent, dimicare utile arbitrabatur. Itaque in aciem peditum centum, equitum decem milia produxit proeliumque commisit. In quo tanto plus virtute valuerunt Athenienses, ut decemplicem numerum hostium profligarint adeoque perterruerint, ut Persae non castra, sed naves petierint.“

Hactenus Nepos. Concinit cum Herodoto VI 113 fin. et Plutarcho Arist. 5 p. 166 v. 10, quod Persas in naves fugientes castra reliquisse narrat. Neque vero Herodotus VI 103, 110 dicit postridie, quam ex urbe exierant, Athenienses hostes esse aggressos neque equitatum Persarum pugnae interfuisse. Deinde testatur VI 111 fin., 112 Graecos aciem, ut Persarum aequarent, quam latissime extendisse atque hostes eo loco, quo castra posuerant, adortos esse. Nepos autem Athenienses tradit, ne multitudine clauderentur, in regione non aperta acie instructa ultra tractum arborum non processisse et Datim quamvis iniquum locum suis videntem tamen numero fretum copiarum confligere cupiisse, itaque pugnam esse commissam.

Quis est qui nesciat Diodorum in pugnis apud Thermopylas,[5] Artemisium,[6] Salaminem,[7] Plataeas[8] factis describendis semper idem repetiisse locum proelii hostibus, cum in exiguum spatium conclusi multitudinem navium vel copiarum non satis commode explicare potuissent, iniquum fuisse? Idem argumentum nostro loco a Nepote exhibitum invenimus, qua re nostra de Ephoro, illius narrationis fonte, opinio confirmatur.

Ut hoc quoque praemoneam, altera similitudo inter

---

[5]) Cf. Diod. XI 4, 6; 5, 2; 6 fin: „συνήγαγε — ἐπὶ τὸ στενώτατον τῆς παρόδου.

[6]) Diod. XI 13, 2: „ἦν — ἡ ναυμαχία παραπλήσιος ταῖς περὶ τὰς Θερμοπύλας μάχαις — οἱ δ' Ἕλληνες ἐμφράξαντες τὰ στενά.

[7]) Diod. XI 18, 4: ὡς δ' εἰς τὸ στενὸν ἦλθον (sc. Persae), ἠναγκάζοντο τῶν νεῶν τινας ἀπὸ τῆς τάξεως ἀποσπᾶν κ. τ. ἑ.

[8]) Diod. XI 30, 6: τοῖς Ἕλλησιν — πολλὰ συνεβάλετο πρὸς τὴν νίκην ἡ τῶν τόπων στενοχωρία· οὐ γὰρ ἦν ἐπὶ πολὺ μῆκος παρεκτείνειν τὴν φάλαγγα τῶν Περσῶν κ. τ. ἑ.

pugnam Marathoniam a Nepote descriptam et pugnas ad Thermopylas (cf. Diod. XI 5—10), Salaminem (Diod. XI 16—19), Plataeas (Diod. XI 29—33), Mycalen (Diod. XI 34—36) commissas intercedit. Quibus descriptionibus cum Herodoti comparatis intellegimus in eis quidem rebus, quae proelium ipsum praecedunt, in universum Ephorum cum Herodoto congruere, in pugnae autem ipsius narratione plane ab eo abhorrere.

Denique non omittam praeter Lollingium, Zur Topographie von Marathon in Mitteilungen des deutsch. arch. Instit. in Athen I 1876 p. 90, omnes, qui pugnam descripserunt, apud Nepotem „namque arbores multis locis erant s t r a t a e“ legisse, quamquam iam Rothius (ed. Basil. 1841) et Nipperdeius (ed. maior Lips. 1849) pro „stratae“ „rarae“ scripserunt, quae lectio re ipsa comprobatur.

De pugna tantum in universum Nepos loquitur, cum Herodotus VI 112—116 singulas eius res accuratissime persequatur, nec quicquam apud illum exstat de Persarum consilio Athenas navibus petendi et occupandi. Fontem autem — cogito de Ephoro — de pugna Marathonia plura verba, quin etiam plura quam par est, fecisse ex Diod. X fr. 26 concludi potest.

Inquiramus nunc accuratius in fontem Nepotis. E bonis sed non semper ex optimis auctoribus hausit et maxima festinatione, ut ipse in praefatione dicit, explicavit, quae exorsus est. Nonnulla de suo memoriter addidit, sed haec pleraque falsa sunt aut inepta. Ut nunc inter omnes constat, quantum potuit, excerpsit unum scriptorem neque compluribus libris deinceps evolutis narrationes compilavit. Cum igitur verba Milt. v. cap. 7, 2—4 (— deterrerentur) cum Ephori fragmento 107 (Muell. F. H. G. I ex Steph. Byz. s. v. *Πάρος, νῆσος*) congruant, suspicari licet etiam alias vitae partes Nepotem ex Ephoro hausisse. Capita 3—5 uno tenore conscripta esse recte iam intellexit Alfr. Goethius, Die Quellen des Corn. Nepos zur griech. Gesch. (Milt. — Alkib.) in Prgr. d. Gymn. in Gross-Glogau 1878, atque descriptionem pugnae ex Ephoro depromptam videri iam supra p. 25 duobus argumentis comprobavimus.

Deinde quae fabulose narrantur (Milt. v. c. 7 fin.) Miltiadem propter expeditionem adversus Parum frustra factam pecunia multatum, in vincula publica coniectum, ibi diem obiisse supremum, sine dubio ex Ephoro fluxerunt. Nam idem narrant Diodorus X fr. 29, 1 et Justinus II 15, 19, quos inter omnes constat ex Ephoro sua sumpsisse. Cf. etiam Ephor. in F. H. G. IV p. 642 ad vol. I fr. 109 (ex Schol. Arist. p. 515), Plut. Arist. 26 p. 193 v. 6, Cim. 4 p. 474 v. 11, Nepot. Cim. 1 in.

Accedit, quod Nepos etiam in vitis Themistoclis, Aristidis, Pausaniae componendis maximam partem narrationis Ephoro debuit, praeter quem in vitis Themistoclis et Pausaniae etiam Thucydidem in usum suum convertit. In Aristidis autem vita alterius fontis nullum invenimus vestigium, ut suspicari mihi liceat Nepotem Thucydidem praeter Ephorum certe non aditurum fuisse, nisi illum, quae Pausanias et Themictocles extremis vitae annis gesserant, accuratissime narrasse cognitum habuisset. Nam in sequentibus vitis Cimonis, Lysandri, Alcibiadis, ut in Aristidis, iterum unus fons inveniri potest, ac quidem in Lysandri vita Ephorus, in Cimonis Alcibiadisque Theopompus. Sequitur, ut Nepotem, quae de Miltiade narravit, ex Ephoro sumpsisse verisimillimum sit, praesertim cum constet non solum quattuor gravissimos locos illius vitae, sed etiam universas quattuor sequentes vitas ex eodem fluxisse.

Pugna Marathonia a Nepote vel potius ab Ephoro descripta perspicua est, et res inter se perbene cohaerent; quae autem de loco ipso pugnae atque de acie instructa narrantur, sane perspicuitate carent. Denique silentio praeterire nolo Herodoti commentariis Nepotem neque ad Miltiadis, neque ad Themistoclis, Aristidis, Pausaniae vitas componendas usum esse, cum a Cicerone, Nepotis amico, saepissime patris historiae mentio facta sit.[9]) At Nepos hunc consulto neglexisse videtur.

Ad alios transeamus.

---

[9]) Cf. Cic. de orat. II 13, 55, fr. 49 (ed. Klotz. IV³ p. 287), orat. 55, 186; 12, 39; 65, 219; de leg. I 1, 5, de divin. II 56, 116; I 53, 121, de off. II 12, 41, Tusc. I 47, 112, ad fam. V 12, 7, de fin. II 27, 87.

II 2. **Diodorus** X fr. 26 narrat, Datim ante pugnam ad Athenienses misisse, qui Atticam ut suum ipsius patrium regnum poscerent (Idem argumentum inest parti scholii Aristoph. pac. v. 289). Si vellent oboedire, se eis ignoturum esse, quod olim Medum, auctorem sui generis, e regno Atheniensi expulissent ac nunc contra Sardes hostili agmine profecti essent, sin autem sibi non obsequerentur, multo gravius, quam Eretrienses, eos se puniturum. Miltiadem vero nomine decem praetorum respondisse, Athenienses potius multo meliore iure regnum Medorum vindicare posse, cum Medus genere vir Atheniensis fuisset. Quo responso Datim ad pugnam committendam exercitum instruxisse[1])."

II 3. Deinde **Suidas** iterum s. v. *Ἱππίας Ἀθηναίων τύραννος* pugnae descriptiunculam exhibet atque haec de ea narrat:

„Hippias Dareum adhortatus, ut contra Athenas Graeciamque expeditionem faceret, ipse cum Artapherne et Dati trecentisque milibus copiarum[2]) iam senex (cf. Suid. s. v. Ἱππ. et Herod. VI 107) in Graeciam devehitur. Cum Eretriam venissent Persae, homines copiis cinctos veluti pisces rete ceperunt (ἐσαγήνευσαν) captosque regi miserunt, qui eis circa Susa sedes assignavit.[2]) *„Ἐντεῦθεν ἐπὶ Μαραθῶνα ἦλθον."* [3]) Athenienses vero duce Miltiade (cf. Nepot.) cum

---

[1]) Cf. Herod. VII 150, qui simili ratione Xerxem Argivis per praeconem dicentem facit Persas a Perseo itaque ab Argivis oriundos esse, quo loco Ephorum esse usum non veridissimile est. Cf. Bauer, Die Benutzung Herodots durch Ephoros bei Diodor in Jahrb. f. cl. Phil. X. Suppl.-Bd. p. 340.

[2]) Nepos, qui exhibet eosdem duces, sed numerum Persarum diversum, pariter atque Suidas narrat captivos statim in Asiam deportatos esse. Cetera autem frustra apud eum quaeres. Cf. de „σαγηνεύειν" Herod. VI 31, quod caput Platonem de leg. III 698 C. et Ps. — Platonem Menex. 240 sine dubio exscripsisse omitto. Nil autem nos impedit, quin Suidam vel potius eius fontem fabulosam istam expugnationem Eretriae et sedes captivis circa Susa assignatas Ephoro debere sumamus, qui iterum, quod Herodotus alio loco (VI 31, 119) narravit, in descriptionem suam transtulit. Atque ut ex Diodori fragmentis, ita etiam ex his narratiunculis intellegimus magna doctrina instructum Ephorum expeditionem Datis narrasse. Herodoti narrationi epigramma Platonis adiunxit.

[3]) Praecedunt verba *„τοὺς ληφθέντας τῷ βασιλεῖ ἔστειλαν."* Eodem loco eodemque conexu sunt haec Nepotis verba: „omnesque

barbaris proelium commiserunt. Lacedaemonios in auxilium vocarunt per Philippidem hemerodromum (cf. Nepot.). Sed quia lex illos ante plenilunium expeditionem facere vetabat, abnuerunt (Hanc novissimam rem Ephorus certe narravit). Philippidi redeunti Pan obviam factus se unum ex diis ab Atheniensibus neglegi questus est, nihilominus autem illis se auxilio venturum promisit.[4]) Athenienses autem uno e decem ducibus, ut Lacedaemonios exspectarent, Miltiade autem et Callimacho, ut protinus exirent ex urbe, suadentibus[5]) domo profecti sunt, ipsi quidem cum novem milibus, Plataeenses autem cum mille militibus. Eodemque die vicisse dicuntur. Callimachus, qui ceciderat, hastis nisus rectus astitit, Polyzelus pugnans oculorum usu privatus est[6])."

Octo igitur locis Suida et Nepote inter se consentientibus non dubito, quin haec pugnae descriptio ex Ephoro fonte primario fluxerit. Quas igitur novas res habet Suidas, quantum quidem eae dubitationem non movent — Hippiam in exercitu Persarum fuisse, Eretrienses veluti pisces captos esse, sedes circa Susa eis assignatas, epigramma Platonis, Lacedaemonios auxilium ferendum distulisse nec Miltiade et

---

eius gentis cives abreptos in Asiam ad Regem miserunt. Inde ad Atticam accesserunt". Qua re ostenditur utrumque auctorem eundem fontem, i. e. Ephorum, adiisse.

[4]) Haec narratio etiam in singulis verbis plane cum Herodoto VI 105 congruit. Ephoro eam tribuere dubito. Suidae igitur auctor ex Herodoto ipso nonnulla eis, quae ex Ephoro hausit, adiunxisse videtur. Quae sequuntur iterum in universum concinunt cum Nepote.

[5]) Decem fuisse praetores et consilium Athenis habitum Nepos quoque commemorat; nihil autem apud eum exstat de Miltiade et Callimacho suadentibus, ne Lacedaemonii exspectarentur. Cf. Justin. II 9, 10, qui cum nostro loco consentit.

[6]) Nepos quidem de die pugnae discrepat a Suida, sed eundem Graecorum numerum praebet. Novissima narratio, ut praecedentem fabulam omittam, nescio an iam apud Ephorum exstiterit, quoniam eam apud Ps. — Plutarchum quoque, Parall. min. I, reperimus. Procul dubio autem ad Herodotum VI 117 v. 11 referenda est, nam cf.:

Suid. *Πολύζηλος δὲ πηρωθεὶς ὡς φάσμα θεασάμενος τῷ πώγωνι κρύπτων τὴν ἀσπίδα σύμμαχον κ. τ. ἑ.*	Herod. — *ἄνδρα οἱ δοκέειν ὁπλίτην ἀντιστῆναι μέγαν, τοῦ τὸ γένειον τὴν ἀσπίδα πᾶσαν σκιάζειν κ. τ. ἑ.*

Callimacho suadentibus ab Atheniensibus exspectatos esse, Polyzelum visum amisisse (?) —, eas iure Nepotis narrationi addere licet, qua ratione Ephoream pugnae descriptionem genuinam, quantum possumus, restituamus.

II 4. Similis narratio ac Suidae inest **Anecdotis Graecis Oxoniens.** IV p. 154, ed. Cramer.; alterius verba verbis alterius respondent, ut pro certo statuere possimus ad eundem fontem utrumque fragmentum esse referendum.

II 5. Atque idem dicendum est de **Ps — Plutarcho** (Parall. min. I). Breviter praemonebo, illi magno numero auctorum, qui citantur, nullam fiduciam habendam esse. Nostro loco nescio quo pacto nullus testis laudatur. Nihilominus ad quem fontem pertineant res narratae, facile diiudicari potest. Haec narrat Ps. — Plutarchus de pugna:

„Datis[7]), Persarum satrapes, exercitu trecentorum milium[7]) Marathonem appulso positisque castris incolis bellum denuntiavit. Cui Athenienses ducibus Cynaegiro, Polyzelo, Callimacho, Miltiade[7]) cum novem milibus hominum obviam iverunt. Collatis signis Polyzelus pugnans lumina amisit. Callimachus multis transfixus hastis etiam mortuus rectus astitit. Cynaegiro navem retinenti manus sunt abscisae.“

Postremo breviter complecti mihi liceat, quae de Suidae et Ps. — Plutarchi narratiunculis in promptu habeo. Ex Nepotis auctore fluxisse eas satis probasse mihi videor. Praeterea autem, quamquam omittere nolo Ps. — Plutarchum

---

[7]) Suidas et Nepos duorum nomina imperatorum exhibent. In numeris cum Suida consentit Ps. — Plutarchus, sed Plataeenses mille omisit. Qua de causa Cynaegirum, cuius neque a Nepote neque a Suida mentio fit, et Polyzelum praetores falso dixerit, facile intellegi potest. Ps. — Plutarchum Suidae fontem adiise his confirmatur:

Ps. — Plut.: *Πολύζηλος μὲν — φαντασίαν θεασάμενος.*	Suid. s. *Ἱππ. Ἀθην. τύρ: Πολύζηλος δὲ — φάσμα θεασάμενος.*

Ut hoc praecipiam, etiam in eis, quae subsequuntur, apud utrumque scriptorem est congruentia quaedam:

Id.: *Καλλίμαχος δὲ πολλοῖς περιπεπαρμένος δόρασι καὶ νεκρὸς ἐστάθη.*	Id.: *Καλλίμαχος ἐπὶ δοράτων εἱστήκει νεκρός.*

multo neglegentius e communi fonte sua deprompsisse, nonnulla cum Herodoto congruenter tradunt, ita ut nesciam, illi hunc ipsum adierint necne. Verisimilius est illos e traditione Atheniensi, quae Herodoti vestigia secuta est, hausisse. Quae sententia, quamvis incerta sit, tamen est non mira. Nam quis est qui nesciat nobilis illius pugnae memoriam omnibus temporibus floruisse?

Res ipsa docet, quantum fidei narrationibus illis tribuendum sit. Numeri utriusque exercitus non sunt incredibiles, imprimis non Graeci, cum Persarum copiae aliquantum veritatis modum excedant. Nescio an illi de summa universi exercitus, qui inclusis calonibus ducentorum milium fuisse videtur, centum milia militum non, ut Nepos recte fecit, detraxerint, sed contra rem exaggerantes summae addiderint. Cetera autem nullatenus suspicionem movent.

Priusquam autem in fidem auctoritatemque Ephori, horum omnium auctorum fontis, cum Herodoto eum comparantes inquiramus, ceteras narratiunculas pugnae breviter commemorare liceat, quas tertia et quarta pars huius capitis continebit.

III 1. Ac primum quidem **Suidas** s. v. *Χωρὶς ἱππεῖς* aliquid plane novi de pugna nobis servavit. Narrat enim, „cum Datis Atticam invasisset, Jonas eo cum equitatu digresso arboribus conscensis equitum discessum Atheniensibus significasse; qua re cognita Miltiadem protinus cum Persis proelium commisisse eosque vicisse.“

Hanc historiunculam fabulam esse res ipsa docet ac confirmatur addito *φασίν* verbo. Hausta enim esse mihi videtur ex posterioris aetatis memoria, quae Jonum a Persis deficiendi conatibus illis quibusdam, qui ab Herodoto VIII 10, 85 et Diodoro XI 17, 3 narrantur, novum addere voluit. Cf. etiam Herod. VIII 22, IX 98, Diod. XI 34 fin. Quamquam nescio an illud potius ea fabula auctor anonymus explicare studuerit, quomodo factum sit, ut equitatus pugnae non interesset. Si profecto Datis digressus esset, Miltiades discessum eius etiam per speculatores vel alio modo comperire potuit, neque tale factum fama obtexuisset. Deinde neque Herodotus ea de re loquitur neque quisquam obtrec-

tatorum illorum (cf. Plutarch.? de Herod. malign. c. 27, Theopomp. fr. 167), qui sine dubio id facinus non neglegentes ad iudicium de pugna suum confirmandum usurpassent. Huc denique accedit, quod, cum omni temporis puncto Graeci impetum facere possent, itaque res semper in discrimine esset, Datim cum equitibus, gravissima illa Persarum exercitus parte, digressum esse non verisimile est, ut alias difficultates, quas praeter eas haec fabula nobis praebet, omittam. Neque igitur istud frustulum vel Herodoteae vel alii pugnae descriptioni inseri aut coniungi potest. Praeterea non solum auctorem ignoramus, sed etiam fabula Herodoto VI 112 contradicere mihi videtur, qui Persas, ubi cursu citato irruentes hostes viderunt, furere eos putasse narrat, cum numero essent pauci neque equitatum aut sagittarios secum haberent. Ex his verbis nonne merito concludi potest barbaros ipsos equitatum in campum eduxisse? Nulla igitur ratio huius fabulae habenda est.

IV 1. Atque idem dicendum est de **Ctesia**, de rebus Persicis frg. 16—19 (ap. Photium cod. LXXII p. 106 sqq., ed. Baehr. 1824 p. 68). Videamus, quae de pugna praebeat. Paulo longius, quam par est, digrediar.

„Dareus cum octingentis milibus[8]) adversus Scythas profectus quindecim post diebus[9]) fugiens rediit ac pontes dissolvit. Qua re octoginta milia hominum in Europa relicta interierunt.[1]) Chalcedonensium, cum antea pontes delere tentavissent aramque positam evertissent, domus et templa combusta sunt; Dati autem ex Ponto reverso[2]) atque insulas Graeciamque populato ad Marathonem Miltiades occurrit barbarosque vicit. Et Datis ipse cecidit. Dareus autem ad Persas reversus celebratis sacrificiis post morbum triginta dierum mortem obiit, annos septuaginta duos natus, cum

---

[8]) Herod. IV 87 et Justin. II 5 exhibent septingentorum numerum milium armatorum.

[9]) Herod. IV 98, 136 falso plus quam sexaginta dies praebet.

[1]) Cf. Herod. IV 143 fin: — *αὐτὸν ὑπέλιπε στρατηγὸν ἔχοντα τῆς στρατιῆς τῆς ἑωυτοῦ ὀκτὼ μυριάδας.* Nescio, utrum Ctesiae an Photio epitomatori haec neglegentia tribuenda sit.

[2]) Antea nusquam Ctesias de classe loquitur.

annos unum et triginta regnasset.[3]) Obiit etiam Artasyras. Bagapates autem, cum septem annos sepulcro Darei assedisset, mortuus est".

Haec hactenus.

Quamquam difficile est credere Ctesiam pugnam Marathoniam expeditioni Scythicae inseruisse, tamen non habes, quod mihi opponas. Constat enim cum Persas parum diligenter in temporum rationibus indicandis esse versatos, tum Ctesiam multa falsa, nugas ineptiasque, rettulisse. Omitto eum expeditionem Xerxis quam perversissime narrasse. Datim autem cecidisse silentio iam Herodoti refutatur. Apparet autem enucleate ex novissimis verbis Ctesiae et quae sequuntur, quibus summa diligentia, qui viri Persici apud Xerxem maximam auctoritatem obtinuerint, explicatur, universam narrationem, cuius contextus negari nequit, e regiis commentariis ductam esse, quorum cum indole ea plane convenit. Ac iam supra § 17 in. litterarum inter Dareum et Scytharum regem missarum mentio erat facta. Negare quidem nolim Ctesiam, virum Graecum, in historiis componendis fontes Graecos umquam adiisse; nostro autem loco illos in suum usum non convertit.

IV 2. Ut alii oratores Attici,[4]) ita etiam **Isocrates**, Panegyr. 66—99, Panath. 195 sqq., occasione data maiores splendidissimis verbis laudavit et victorias ab illis reportatas omnibus dictionis luminibus collustratas in maius sustulit. Quod ad pugnam Marathoniam attinet, prodit Panegyr. 86—87, „cum Persae naves appulissent, Athenienses socios non exspectantes protinus eodem die, quo hostes adesse audivissent, Marathonem profectos barbaros vicisse tropaeumque posuisse. Lacedaemonios autem certiores factos Persas Atticam invasisse omnibus rebus domesticis neglectis Atheniensibus quam celerrime opem laturos tribus diebus totidemque noctibus mille et ducenta stadia emensos esse."

[3]) Herod. VII 3 dicit eum triginta sex annos fuisse regem.

[4]) Cf. Andoc. de myster. 107 sqq., Ps. — Lys. orat. fun. 20—43, Demosth. de reditu 21 sqq., de cor. 208, de falsa legat. 312, c. Aristocr. 196—198, 207, Ps. — Demosth. c. Neaer. 94—97, Aeschin. de fals. leg. 75, c. Ctesiph. 181—187, 259, Hyperid. laud. fun. 13, 42 sqq., Lycurg. c. Leocr. 204 sqq.

Ex vigenti memoria oreque hominum orator hausit, neque fides est ei narrationi habenda. Omnino fieri non potuit, ut eodem die, quo urbem reliquerant, Athenienses hostes funderent; ac Lacedaemonios statim auxilio venisse Herodotus refutat. Quaerentibus autem, qua de causa Isocrates res gestas tam perverse narraverit, considerandum est, quid sibi voluerit oratio. Et ob hanc causam nostro loco merita immerita Lacedaemoniis tributa sunt.

IV 3. Neque minus **Plato**, de leg. III 698 C et **Ps. — Plato**, Menex. 240 Lacedaemonios laudare conantur, quod referunt „ingentibus Persarum copiis[5]) in Atticam deductis, cum omnes alii Graeci in auxilium vocati suam salutem magis quam Atheniensium diligentes tamquam otiosi spectatores periculi domi manerent, unos Lacedaemonios opem tulisse sed postridie demum pugnae[6])."

Nimirum auxilio quidem Lacedaemonii venerunt Atheniensibus ac fortasse etiam postridie, quam pugnatum est. Id quod dubito an concludi possit ex ea re, quod corpora Persarum mortuorum spectarunt. Cf. Herod. VI 120. Sed falsum est omnes Graecos ad opem ferendam esse vocatos et domi mansisse. Herodotus enim testatur a solis Lacedaemoniis auxilium Athenienses petiisse, ac Plataeenses, qui in fidem Atheniensium sese commiserant, Marathonem opem ferre iussi esse videntur. Quibus plane omissis nimio plus merita Lacedaemoniorum, quae sane parvi sunt aestimanda, Plato celebravit. Namque mores Lacedaemoniorum admirabatur ac propter hoc studium res gestas parum vere narravit.

---

[5]) Ps. — Platone auctore, ut pedites omittam, Persae secum habent navigiis exceptis trecentas naves: „*πέμψας μυριάδας μὲν πεντήκοντα ἔν τε πλοίοις καὶ ναυσί, ναῦς δὲ τριακοσίας.*" Et ipse Herodotus VI 95 solum numerum navium triremium, quas saepius Graeci *κατ᾽ ἐξοχὴν* „*ναῦς*" vocant, exhibet. Verisimile igitur est Ps. — Patonem, ut supra p. 28 n. 2 vidimus, ex Herodoto hausisse, de trecentis autem navibus vitium librarii fortasse statuendum est.

[6]) Cf. Plat. de leg. III 698 C.: — *καὶ πρεσβευομένοις αὐτοῖς πανταχόσε βοηθεῖν οὐδεὶς ἤθελε πλήν γε Λακεδαιμονίων· οὗτοι δὲ — ὕστεροι δ᾽οὖν ἀφίκοντο τῆς — μάχης γενομένης μιᾷ ἡμέρᾳ.*

Neque igitur Isocratis neque Platonis vel Ps. — Platonis ulla est ratio habenda in pugna Marathonia describenda.

IV 4. Sicut hi meritum aliquod Lacedaemoniorum fingere, ita **Theopompus** fr. 167 (ex l. XXV Philippicor., cf. Muell. F. H. G. I p. 306) Atheniensium laudem imminuere conatus est, quod malevole tradidit „non omnes pugnam Marathoniam aliaque praedicare, quod hasce res gestas Athenienses iactarent et eis alias Graecorum civitates deciperent.“

Mira est haec obtrectatio nobilis illius pugnae. Sed nescio an, qua de causa facta sit, intellegi possit. Constat enim Athenienses occasione data victoriam Marathoniam et ceteras etiam clariores res a se ipsis gestas ostentantes modum veritatis magis magisque excessisse;[7]) quibus Theopompus aliique ita sese opposuerunt, ut meritum Atheniensium plus, quam par erat, elevarent. Huc accedit, quod Theopompus ipse aversus fuit a ratione populari et multa reprehendere solebat (cf. Plut. Lysand. 30). Sine dubio illas veritatis superlationes et traiectiones vituperaverit et hisce obtrectanti ei assentiri licet. Si vero Herodoteam pugnae descriptionem in dubium vocaverit, nullatenus eius iudicium nobis est amplectendum. Cf. Busolt., Die Lacedaemonier und ihre Bundesgenossen 1878 I p. 367 n. 93.

Denique non opus est in fontem eius inquirere, quoniam has res gestas non ipse descripsit. „*Οὐχ ἅμα πάντες*“, inquit, „*ὑμνοῦσι (μάχην)*“, quos multos fuisse suspicari licet, nam et ipse

IV 5. **Scriptor libelli**, qui inscribitur **de malignitate Herodoti**, c. 27 narrat „invidos et obtrectatores contendere inversam esse gloriam istius victoriae finemque decantati illius facinoris ad nihil redire neque certamen fuisse videri, sed brevem in barbaros in terram descendentes

---

[7]) Cf. Herod. VII 10, IX 27, Aristoph. Eqq. 781, 1334 et Schol. in h. l., Vespp. 711, Kritiam ap. Athen. I p. 28 c, Thucyd. I 73, 2, Andoc. de myster. 107, Ps. — Lys. laud. fun. 20 sqq., Xenoph. Anabas. III. 2, 11, Ps. — Plat. Menex. 240, Isocr. Panath. 195, Panegyr. 71, 82 sqq., alios oratares, Pausan. I 14, 5 etc. Cf. praecipue innumerabilem Persarum multitudinem atque magnam cladem: Pausan. IV 25, 5, Iustin. II 9, 20.

impetum, cum ei pugna commissa non fugissent praecisis rudentibus, sed vela vento quam longissime ab Attica provenhenti dedissent": „*Ἀνατέτραπται δὲ τῆς νίκης τὸ μέγεθος, καὶ τὸ τέλος εἰς οὐδὲν ἥκει περιβοήτου κατορθώματος οὐδ' ἀγών τις ἔοικεν οὐδ' ἔργον γεγονέναι τοσοῦτον, ἀλλὰ πρόσκρουσμα βραχὺ τοῖς βαρβάροις ἀποβᾶσιν, ὥσπερ οἱ διασύροντες καὶ βασκαίνοντες λέγουσιν, εἰ μετὰ τὴν μάχην οὐ φεύγουσι κόψαντες τὰ πείσματα τῶν νεῶν, τῷ προσωτάτω τῆς Ἀττικῆς ἀνέμῳ παραδόντες αὑτούς*".

Haec narratio incredibilis maxime discrepat ab Herodoto. Neque vero auctores a scriptore laudati sunt neque erui possunt. Quin etiam effici potest illos nulla re nisi receptu perbene a Persis facto ad errorem pugnam levem putandi inductos esse.

IV 6. Denique de quibusdam **Pausaniae** locis et de pictura pugnae, quae in Poecila fuit, dicam. Considerandi sunt loci l. I 15, 3, 32, 7, IX 4, 2, IV 25, 5, VII 15, 7. Primo loco describit picturam pugnae factam a Panaeno, quem Plinius testis est c. a. 448 a. Chr. n. floruisse[8]): „In extrema picturae parte picti sunt, qui Marathone Persas vicerunt. Boeotorum Plataeenses et omnes Athenienses cum barbaris congrediuntur: „*Βοιωτῶν [δὲ] οἱ Πλάταιαν ἔχοντες καὶ ὅσον ἦν Ἀττικὸν ἴασιν ἐς χεῖρας τοῖς βαρβάροις.*"[9])

---

[8]) Cf. Böttiger, Ideen zur Archäologie der Malerei I p. 246 sqq., H. Brunn, Gesch. der griech. Künstler II p. 19—22, O. Jahn, Arch. Aufsätze p. 16 sqq., Pausan. V 11, 6 fin., Plin. hist. nat. XXXV 8, 57. Aeschines quoque c. Ctesiph. 186 et Nepos Milt. 6 picturae mentionem faciunt atque narrant ex decem praetorum numero primam esse positam imaginem Miltiadis hortantis milites ac proelium committentis. Cf. Aristid. II 232 et Schol. III 566, Ps. — Demosth. c. Neaer. 94: „— *ὡς ἕκαστος γὰρ τάχους εἶχεν, εὐθὺς προσβοηθῶν γέγραπται, οἱ τὰς κυνᾶς τὰς Βοιωτίας ἔχοντες*". Ex his verbis Aelianus, de nat. animal. VII 38, hanc iocosam narrationem composuit: „*Συστρατιώτην δέ τις Ἀθηναῖος ἐν τῇ μάχῃ τῇ ἐν Μαραθῶνι ἐπήγετο κύνα, καὶ γραφῇ εἴκασται ἐν τῇ ποικίλῃ ἑκάτερος μὴ ἀτιμασθέντος τοῦ κυνός, ἀλλὰ ὑπὲρ τοῦ κινδύνου μισθὸν εἰληφότος κ. τ. ἑ.*"

[9]) Lugebil., Zur Gesch. der Staatsverfassung von Athen in Jahrb. f. cl. Phil. V. Suppl.-Bd. p. 653—654 falso existimavit hisce verbis cum Plataeenses significatos esse tum omnes alias Boeotorum civitates, quae in fidem Atheniensium se dedissent. De his autem

Atque in parte scripturae antica utraque acies aequis viribus ad pugnam committendam parata est. In media autem vides fugientes barbaros et in paludem sese trudentes.[1]) In postrema denique naves Phoeniciae pictae sunt, in quas barbari sese conicientes a Graecis caeduntur. Ibidem etiam Marathon, Theseus, Athena, Hercules, Echetlus picti sunt. Inter pugnantes autem ipsos maxime illustres sunt Callimachus polemarchus et Miltiades e numero ducum." [2])

Haec pictura descriptionem pugnae nobis praebet, qualem e fama sermoneque hominum fluxisse apparet. Ut picta erat, ita fere factam esse pugnam Athenienses c. a. 448 inter se narrarunt. Atque eodem fere tempore Herodotus venit Athenas. Eius narrationi proelii eadem ac pictuarae sententia subiecta est magni momenti fuisse illud nobile facinus. Quin etiam mihi quidem Herodotus picturam inspexisse videtur. Unde Panaenus, inde Herodotus quoque hausit. Sed caute fabulosa memoria eum usum esse atque eius descriptionis pugnae maximam partem aliunde fluxisse infra p. 47 videbimus.

Neque minus, quam Athenienses, Plataeenses suum

---

novissimis nihil nobis tradidit Herodotus, neque haec sententia voci Ἀττικόν inest. Stephanus testatur voce τὸ Ἀττικόν exercitum Atticum a Polyaeno I 44 esse significatum, quae sententia voci etiam nostro loco subiecta est. Ut hoc praecipiam, idem Lugebilius p. 665 Pausaniae I 32, 3 verba: „καὶ ἕτερος (sc. τάφος, scribendum videtur ἕτεροι) Πλαταιεῦσι Βοιωτῶν καὶ δούλοις" non recte iterpretatus est disserens δούλους hoc loco alios praeter Plataeenses subiectos Boeotos vocari. Doctum hominem loci Pausan. VII 15, 7 et X 20, 2 plane fugerunt, quibus disertissime Athenienses domo profectos servos secum habuisse enarratur.

[1]) Herodotus quamquam de palude silet, tamen Pausaniae narratio in dubitationem vocanda non est. Praeter Pausaniam hoc loco et I 32, 7, ubi ex verbo „λέγουσιν" de fonte concludi potest, paludis mentionem faciunt Anecdd. Gr. l. c., Schol. Platon. Menex. p. 358, Aristid. Panath. p. 203, atque etiam nunc in campo Marathonio sunt duae paludes, sed pugnae tempore meridionalis nondum fuisse videtur. Cf. Westermann., N. Jahrb. f. Philol. 1842, Bd. 36, p. 144.

[2]) Certe nomina simulacris illis adscripta erant, qua re Lugebilius p. 652—656 opinatus hunc locum ex eximio fonte — cogitat de Diodoro, Polemone, Heliodoro, aliis periegetis — haustum esse refellitur.

ducem victorem honorarunt. Nam Pausanias IX 4, 2 narrat in fano Plataeensium ad pedes Minervae deae se imaginem Arimnesti vidisse, ducis Plataeensium in pugnis Marathonia et Plataeensi. Et in hac quidem Plutarchus quoque Arist. 11 eum civibus suis praefuisse confirmat. In Marathonio proelio eum fuisse ducem Pausanias quidem solus testatur, sed nullam causam habemus, cur hanc narrationem reiciamus, quam nescio utrum a sacerdotibus ille acceperit (cf. Pausan. II 23, 6), an ex nomine imagini subscripto petiverit.

Tum IV 25, 5 narrat Athenienses multitudine, quae minor fuisset quam decem milium, trecenta milia Persarum delevisse.

Quam rem falsam esse nemo negabit. Ceterum numeri cum gravissimis scriptoribus congruunt (cf. pp. 53—54 et 57). Pausanias enim existimasse videtur universum barbarorum exercitum cecidisse.

Alio quoque loco, X 20, 2, prodit Athenienses omnes etiam manu ad arma inutili et servis coactis numerum novem milium non excessisse, id quod non minus omni probabilitate caret. Fuerunt novem milia civium graviter armatorum, quorum quisque leviter armatum secum habuit: Cf. Herod. IX 29, 30. Utroque autem loco cum Graecorum numerum quam subtilissime exsecutus sit, Pausanias plurimum valet, ut aliis scriptoribus, qui eundem numerum exhibent, maximam fidem habeamus.

Dubitandum est de servis, quos Pausanias I 32, 3 fin. tum primum stipendia fecisse et VII 15, 7 manumissos esse dicit; id quod nullus alius scriptor nobis tradit nec credibile est. Utroque enim loco scriptor angustias Atheniensium augere studet, in quibus non solum impuberes et senes, sed etiam servos ad arma convocarunt. Accedit, quod praeter Lacedaemoniorum helotas in aliis Graecis civitatibus non saepe servi publice manumissi sunt. Primum Corcyraei bello domestico inter se dimicantes servis ex agris ad arma vocatis libertatem promiserunt. Cf. Thucyd. III 73 in. Tum post pugnam ad Arginussas commissam Athenienses servos, qui ei interfuerant, manumisere. Cf. Aristoph. Ran. 694 et Schol. ex Hellanici Atth. fr. 80 (Muell. I p. 56). Denique

Thebani ab Alexandro Magno oppugnati (cf. Diod. XVII 11) et postea Achaei a. 146 a. Chr. n. cum Romanis bellantes servis libertatem dederunt (cf. Pausan. VII 15, 7). Alia exempla videas ap. Dion. Chrysost. XV 21, Photium s. *Σαμίων*, Diod. XX 84. Cf. Buechsenschuetz, Besitz u. Erwerb im griech. Altertume p. 172. Tunc autem maximis calamitatibus civitates affectae, atque Atheniensis civibus bello illo gravissimo privata erat. Talis autem calamitas cum a. 490 non exstiterit, narrationem commenticiam esse censeo. Aliter iudicat hac de re Herbst., Ueber die Schlacht bei den Arginusen, p. 19—21 n. 30.

Unde Pausanias narrationem sumpserit, dici nequit. Nescio an ex Atthidum scriptoribus, quorum Clitodemi X 15, 5 et Androtionis VI 7, 6 X 8, 1 mentionem facit. Saepius autem gravissimis auctoribus neglectis fontes adiit, qui parum fidei mereantur.

IV 7. Similis narratio exstat apud **Andocidem** (de mysteriis 107), qui ante pugnam Marathoniam Athenienses exsules revocasse et inter se fidem dedisse nobis persuadere conatur. Atque etiam haec fabula est vel Andocides restitutionem exsulum, quae Plutarcho Arist. 8 et Themist. 11 teste ante pugnam Salaminiam facta erat, ante Marathoniam factam esse existimavit. Sed ne constat quidem ante proelium Salaminium exsules esse revocatos, quoniam Herodotus VIII 79 Aristidem restitutum esse non commemorat ac de aliorum restitutione plane silet. Etiam in ceteris Andocides tempora confudit, nam in § 108 de combusta urbe, de dirutis moenibus templisque loquitur, quae verba ad nil nisi ad expeditionem Xerxis referri possunt, ad quam iusiurandum quoque illud pertinet (cf. Diod. XI 29, 2), quod falso memoratum esse Theopompus fr. 167 iam censuit. Ac recte, nam per se ipsa res parum credibilis est neque exstat apud Herodotum.

Restat, ut ad **Ephorum Herodotumque** transeamus et in utriusque fontes fidemque et auctoritatem inquiramus. Illos duos auctores diligenter comparans fidem Ephori non magnam neque Herodoteae praeferendam esse demonstrare

conabor. Sed ad solas res cum Persis gestas ab utroque narratas quaestio, quam mihi proposui, pertinebit. Quamquam iam multi homines doctissimi [3]) nostra aetate de Ephoro in universum disseruerunt, tamen operae pretium esse mihi videtur in partem quandam historiae, quam quomodo tractaverit suspicari nobis licet, accurate inquirere.

Ac primum dicendum est Ephorum Herodoti libros pro fundamento historiarum Persicarum sumpsisse. Quod iudicium, quantum quidem ad Diodor. XI 1—37 attinet, pro certissimo statuit Bauerus l. c., qui summa diligentia locos, quibus, quanta sit congruentia inter illos, probatur, collegit. Hunc unum locum, quem p. 298 omisit, adiungi velim:

Diod. XI 5, 3 fin: — *τὰ δὲ πελάγη τοῖς τῶν νεῶν ἱστί-οις κατακαλυφθῆναι.*	Herod. VIII 45 in: *ὡς δὲ ὥρα πάντα μὲν τὸν Ἑλλήσποντον ὑπὸ τῶν νεῶν ἀποκεκρυμμένον.*

Deinde exemplum Diod. XI 7, 3, quod cum Herod. VII 211 concinit, p. 299 magis laudare potuit.

Neque vero ex uno Herodoto sua mutuatus est Ephorus, nam permulti loci sunt obvii, quibus maxime differunt. Sequitur, ut praeter illum alios fontes adierit [4]) vel e fama Atheniensium nonnulla narationibus illorum addiderit. Quamvis imprimis scriptoribus — nec certe paucis — comparatione et iudicio diligenter facto Ephorum in historia conscribenda usum esse omnes consentiant, tamen existimo famam quoque sermonemque hominum apud eum aliquid valuisse. Nam in Isocratis oratoris disciplina diu versatus multa accipere potuit, quae de illis rebus gestis tum homines inter se narrabant. Quaerentes autem, ex quibusnam aliis fontibus idem sua mutuatus sit, non possumus ad cer-

---

[3]) Heyne, De fontibus Diodori.

Creuzer, Praef. ad Ephori Cumaei fragmenta, coll. atque ill. Meier Marx, Caroliruhae 1815.

Mueller, F. H. G. I p. LVII—LXV et 234—277 et vol. IV 641—642.

Cauer, Quaestionum de fontibus ad Agesilai historiam pertinentibus pars prior. Vratisl. 1847.

Stelkens, De Ephori Cumaei fide atque auctoritate, Monast. 1857.

[4]) Quod apparet ex Diod. X 19, 2 et 3 cum Herod. III 154, 160 comparato et ex fr. 25. Cf. Ctes. Pers. 22.

tum iudicium pervenire. Id solum pro verisimili statuere licet eum logographos, Charonem vel Hellanicum, adiisse. Nam ipse quoque hanc sententiam confirmare videtur fragmento 102 (= Xanthi frgm. 19 in., Muell. I p. 39), quo dicit Xanthum Herodoto ansam scribendi praebuisse. Cf. etiam fragmenta 81 et 89 Hellanici, quibus locis Ephorus una cum illo laudatur. Sed fragmenta illorum antiquissimorum scriptorum quamvis summa diligentia cum Ephori fragmentis comparata nil nobis suppeditant, unde concludi possit hunc vel illum ab eo in usum esse conversum.

Herodotum igitur cum Ephorus pro fundamento rerum cum Xerxe gestarum sumpserit, summa probabilitate concludi potest etiam Datis expeditionis narrationem ex illo esse haustam. Nam Ephorum, cum in altera parte commentariorum Herodotum evolverit, in altera eum neglexisse veridissimile est. Eo accedit, quod iam supra non solum apud Nepotem Milt. 4 (= Herod. VI 105), sed etiam apud Diodorum X 26 (= Herod. VII 150) et Suidam s. *Ἱππ. Ἀθην. τύϱ.* (= Herod. VI 31, 119) aliquot manifesta Herodoti vestigia invenimus. Deinde, ut in aliorum proeliorum narrationibus, ita in Marathonii descriptione in universum quidem ambo scriptores inter se consentiunt, singulas autem res Ephorus plane aliter atque Herodotus alio temporum ordine servato narrat. Denique inter Diodori libri X fragmenta nonnulla exstant, quae certe ex Herodoto fluxerunt. Cf. fr. 19, 6 cum Herodoto VI 137 sqq., praecipue autem fr. 24: „*ὅτι πεϱὶ Ἡϱοδότου φησὶν ὁ Διόδωϱος* (videlicet Ephorus), *καὶ ταῦτα παϱεξέβημεν οὐχ οὕτως Ἡϱοδότου κατηγοϱῆσαι βουληθέντες ὡς ὑποδεῖξαι ὅτι τῶν λόγων οἱ θαυμάσιοι τοὺς ἀληθεῖς κατισχύειν εἰώθασιν.* Cf. fr. 29, 1 cum Herod. VI 136 fin.

Transgrediamur ad Ephori rationem scribendi et fidem inquirendam eorum, quae nobis tradidit. Studuit quidem is plerumque diligenter verum explorare ac narrare, sed haud raro eum errare antiqui iam non ignorarunt. Quaerentibus autem, quemadmodum Herodoti, Thucydidis, Xenophontis historias in usum suum converterit, Ephorus merito reprehendendus videbitur. Quantum quidem ad Herodotum

attinet, multa obviam fiunt secus atque ab Herodoto tradita. Cum enim eadem conscribere sibi proposuisset, sine dubio aliis sed minus credibilibus fontibus usus, ut quam plurimas res novas narraret, quam maxime ab illo sibi dissentiendum Ephorus existimavit. Perperam artem criticam adhibuit ac propter unam causam Herodoto praeponendus est, quia videlicet negat — quae sententia universo illius operi subiecta est — numine deorum omnes res humanas regi, atque hominibus certos fines positos, quos excedere non debeant, superbos autem a diis invidis a summa fortuna deici. Quae ratio clare elucet ex Ephori fragm. 107 cum Herod. VI 134 et ex Diod. XI 14, 3 et 4 cum Herod. VIII 36—39 comparatis, quamquam hoc loco Ephorus negare nequit deorum portento consternatos Persas fugisse, ac divina providentia Delphos esse servatos. Tum numen ipsum Graecis ad Artemisium pugnantibus opem tulisse ei videtur (cf. Diod XI 13 in.), ut multitudine barbarorum navium deminuta vires utriusque exercitus pares essent.

Priscorum temporum naturam et simplicitatem hominum eius aetatis perspicere non potuit et suo aequaliumque iudiciis commutare conatus est. In rebus autem ipsis enarrandis levitati indulgens Herodoto non est praeponendus. Cuius rei exempla cum longum sit omnia enumerare, luculentiores tantummodo locos, qui certe Ephoro adiudicandi sunt, delibemus.

Primum proelia ab Ephoro descripta saepius in maius aucta et ultra veritatem exaggerata esse invenies. Cf. Diod. XI 31 de Mardonii fortitudine et XI 7, 8, 10, 11, quibus capitibus pugna ad Thermopylas commissa omnibus orationis luminibus illustrata est. Ut iam supra p. 25 vidimus, omnes fere pugnas quasi unum exemplum secutus descripsit. Cf. etiam pugnas apud Mantineam (Diod. XV 86—87), Leuctra (Diod. XV 55—56), Amphipolim (Diod. XII 74), Abydum (Diod. XIII 45), Arginussas (Diod. XIII 99 sqq.) commissas; v. Volquardsenium. Untersuchungen über die Quellen der griech. und sicil. Geschichten bei Diodor, Buch XI bis XVI p. 48, qui etiam alias notas censorias composuit. Jam Polybius XII 25 f Ephorum proeliorum terrestrium plane fuisse ignarum dixit.

Deinde in singulas res descendentes duos locos in Datis expeditionis narratione apud Diod. l. X invenimus, qui nostrum iudicium confirment. De Diod. X fr. 26 iam supra diximus et Ephorum etiam dubias res narrationi suae inseruisse vidimus. Tum fr. 33 eiusdem libri insigne est magno orationis ornatu Isocrateo digno. Fr. 29 denique procul dubio eidem Ephoro adiudicare licet, ex quo luculentissime apparet, quanta sit fides Herodoti et quam dubia in nonnullis rebus Ephori. Paro enim frustra oppugnata Herodotus VI 136 narrat Miltiadem ab inimicis capitis accusatum, sed absolutum talentisque quinquaginta esse multatum; eodem non multo post putrefacto vulnere mortuo Cimonem filium pecuniam exsolvisse. Quia igitur Miltiades, quominus ipse quinquaginta talenta solveret, videlicet morte prohibitus erat, Ephorus hunc in modum narrationem simplicem Herodoteam deformavit. Nepos enim Milt. 7 et Diodorus X fr. 29 et 31 Miltiadem, quod poenam solvere non potuisset, in vincula publica coniectum ibi mortem obiisse rettulerunt. Tum Cimonem eadem custodia esse retentum neque prius emissum, quam pecuniam solvisset. Eandem narrationem reperimus apud Justinum II 15, 19, Plutarch. Cim. 4 p. 474 v. 11 sqq. et p. 475 v. 11 sqq., Nepot. Cim. 1, Tzetzem, Hist. I 22. Denique huc pertinet fragmentum Ephori ipsius (cf. Muell. IV p. 642): „*Ἔφορος δὲ ἐν τῇ πρώτῃ* (M. conicit *ἐν τῇ ἑνδεκάτῃ*) *φησὶν ἐκτῖσαι αὐτὸν* (sc. Cimonem) *τὰ πεντήκοντα τάλαντα γήμαντα γυναῖκα πλουσίαν.*“ Cf. Demosth. c. Aristocr. 205, ubi pro „*Κίμωνα*“ scribendum videtur „*Μιλτιάδην.*“

Colligamus nunc exempla ex Diodor. XI 1—37. Is XI 3, 7—9 in singularum gentium navibus enumerandis nonnumquam discedit ab Herodoto VII 89—99; sed nemo negaverit huic maiorem fidem esse tribuendam, si legerit, quod ipse dicit c. 95 v. 5: „— *τῶν* (sc. nauarchorum) *ἐγώ, οὐ γὰρ ἀναγκαίῃ ἐξέργομαι ἐς ἱστορίης λόγον, οὐ παραμέμνημαι*“ et c. 99 in: „*τῶν μέν νυν ἄλλων οὐ παραμέμνημαι ταξιαρχέων ὡς οὐκ ἀναγκαζόμενος*“. Cf. c. 100 v. 11.

Deinde cum Herodotus VII 132 id unum commemoret Graecos contra populos, qui ad Persas defecerant, iure iurando

foedus pepigisse, Ephorus ap. Diod. XI 3, 3 in publico ad Isthmum conventu id decretum esse nobis persuadere conatur. Cf. Bauer. p. 294 n. et Weckleinium, Ueber die Tradition der Perserkriege in Sitzgsber. d. philos.-phil. u. hist. Classe d. Münch. Akad. 1876 III p. 305—308.

Tum Ephorus narravit (Diod. XI 27 fin.) Themistocli, quod a Lacedaemoniis praemia recepisset, Athenienses praeturam abrogasse. Herodotus autem VIII 125 id tantum refert illi Timodemum exprobrasse, quod Lacedaemonem se contulisset. Nil exhibet de imperio abrogato; sed quod sequenti anno Themistocles classi Atheniensium iterum non praeerat, Ephorus coniecit illi praeturam esse abrogatam.

Denique iusiurandum ab omnibus Graecis in Isthmo praestitum (cf. Diod. XI 29, 2), cuius ab Herodoto nulla mentio facta est, Theopompus fr. 167 iam refutavit ac recte quidem. Cf. Bauer. p. 319 et Wecklein. p. 305—308.

Iam ex aliis partibus historiae exempla colligamus. Ac primum constat res domesticas Athenienses Ephorum neglegenter narrasse. Nam ab Aristophane (Pac. v. 605 sqq.) in errorem ductus Phidiam non multo ante bellum Peloponnesiacum peculatus accusatum condemnatum esse tradit (cf. Diod. XII 39), quod Philochorus (fr. 97, cf. Muell. I p. 400, ex schol. Aristoph. Pac. 605) iam ol 86, 3 = $43\frac{8}{7}$ a. Chr. n. archonte Theodoro factum esse testatur. Cf. Holzapfel., Untersuchungen über d. Darstellg. der griech. Gesch. von 489—413 v. Chr. bei Ephorus, Theopomp und anderen Autoren p. 45.

Omitto, quae fr. 119 (ex Diod. XII 38—41) de causis belli Peloponnesiaci dicit, de qua re Muellerus F. H. G. I p. LXIII perbene disseruit. Itaque num talis vir magna facinora magnasque res recte indicare potuerit, iure dubitare licet.

Nec minus falso narrat Themistoclem pugna demum ad Plataeas facta Athenisque dirutis denuo refectis Atheniensibus persuasisse, ut portum Piraeum construerent. Cf. Diod. XI 41—43. Thucydides I 93 autem, gravior auctor, testis est iam inde ab anno $48\frac{2}{1}$, quo anno Themistocles archon erat, portum aedificari coeptum esse. Cf. Holzapfel p. 45 et 187—192.

Postremo perperam Ephorus fr. 115 ex Plut. Them. 27 Xerxe regnante Themistoclem in Asiam venisse tradidit; nam illi iam mortuo Artaxerxes successerat, quocum Themistocles in sermonem venit. Cf. Thucyd. I 137, 4.

Multis his exemplis allatis satis superque comprobasse mihi videor Ephorum non in omnibus rebus praeferendum esse scriptoribus, quos secutus est, minime vero **Herodoto,** cuius in fidem et auctoritatem accurate nunc inquiramus. Cf. Nitzschium, Ueber Herod. Quellen für die Gesch. der Perserkriege in Rhein. Mus. f. Phil. N. F. XXVII p. 226 sqq., et Weckleinium, l. c.

Triplex est genus Herodoti fontium. Ac primum quidem aliorum scriptis, e quibus procul dubio multa sumere potuit, pauca debet. Cf. Herod. VI 55. Solum Hecataeum Milesium eum adiisse certa vestigia exstant: II 143, VI 137. At eundem sine dubio, quamquam eum non laudat, I 201, II 21, 23, IV 20, 36 adiit. Nec minus cum monumenta tum tabulas publicas neglexit. Plurima, quae rettulit, ipse comperit, ipse vidit, aliorum narrationibus debuit. Cf. II 99. Omnes molestias ac labores subiit, ut unum verum traderet. Cf. II 123 in., VII 152. Artis criticae iam initia quaedam apud eum perspicue cernuntur. Cf. I 75, 182, II 131, 156, III 3, 115, IV 45, 96, V 9, II 53, 120, III 45. Nec vero satis accurate, quae fama acceperat, examinat aut vera a falsis seiungit. Res gestas simpliciter narrat neque, unde singulae ortae sint et quomodo inter se cohaereant, demonstrat. Quocum vitio artissime coniuncta est scriptoris amabilis et simplicissima erga deos pietas. Quaecumque accidunt, ab eo ad summi numinis vim referuntur, itaque rerum rationes vel causas eum semper recte intellexisse vix exspectes. Sed illa pietate neque acies mentis nec narrandi veritas imminuta est. Ut enim fama acceperat, ita res tradidit. Illustre exemplum eximiae eius fidei exstat VII 133: Athenienses quamquam Darei legatis in barathrum praecipitatis et iure gentium violato ansam dederant Herodoto divinae iustitiae vindicis scelerum commemorandae, tamen se dicere non posse profitetur, quidnam mali ob id facinus Atheniensibus acciderit. Posteriores autem scriptores non ignorarunt,

quibus calamitatibus Athenienses ob illud scelus essent affecti, nam tradiderunt domo Miltiadis, Cimonis filii, diruta Talthybium iram suam exercuisse. Cf. Pausan. III 12, 6, Grotium II 570 n. 10, Weckleinium p. 280.

Deinde cum inter omnes constet res geographicas ab Herodoto maxima diligentia relatas maximam fidem mereri, eandem auctoritatem in rebus gestis enarrandis eum habere optimo iure conicere debemus.

Ad bella Persica ab eo descripta transeamus. In quibus praeter cetera numinis divini vim persequitur nec semel admonet, quomodo deorum potissimum ope pauci Graeci innumerabiles illas Persarum copias devicerint. Sed tamen cum hac sententia eximia fides coniuncta est. Nonnullis locis testes quosdam oculatos vel auritos laudat vel etiam nominatim appelat. Cf. VI 117, VIII 65, IX 16 in., VIII 38, 39, VI 98, praecipue autem descriptionem pugnae ad Thermopylas commissae, cui permultas narratiunculas, quas ex incolis regionis illius audiverat, inseruit. Ac constat Thermopylas eum visitasse. Cf. VII 216 sqq., 225, 228. Praeterea tabulas publicas Spartae (VII 224) et decretum Amphictyonum (VII 228) inspexit. Summo igitur studio Herodotum enixum esse intellegis, ut quam accuratissime pugnam describeret, quod si Diodori XI 6—11 et Justini II 11 narrationem comparaverimus, ea, quae ille nobis rettulit, nemo negabit multo credibiliora esse quam quae ab his tradita sunt. Quamquam, num illo modo, quo Herodotus eam narravit, facta sit pugna, in medio relinquo.

Historia rerum cum Persis gestarum in universum uno tenore conscripta est, ad quam conficiendam fama sermoque Atheniensium multum contulit. Quae tum vulgus de victoriis illis nobilissimis inter se communicabat, haec Herodotus accepit atque accepta summa fide rebus, quas ipsas aliunde hausit, inserens tradidit. Quamquam admiratus est Athenienses atque occasione data hanc admirationem diserte prodidit (V 97, VI 112, VII 139 in., VIII 143, 144, IX 27 etc.), tamen fides rerum gestarum ea non imminuta est. Rarissime aliarum eiusdem rei historiarum in hac parte commentariorum mentionem fecit (cf. VI 134, VII

148—152, 214, 220, 230, VIII 118 etc.) ac praeter „ἱστορίην“ imprimis unam memoriam secutus est, quae ore hominum quidem tradita in stabilem quandam formam redacta erat, ut non facile commutari posset. Marathonium denique bellum e traditione gentis Philaidarum, cuius erat Miltiades, est repetitum, ut Nitzschius p. 243 perbene disseruit. Sed ad eam conficiendam sermonem famamque hominum plurimum valuisse quis est qui neget? Neque omittendum est non solum Herodoto omnes res humanas semper e deorum arbitriis pendere visas esse, sed etiam omnes Graecos ita existimasse in rebus cum Persis gestis divinum numen apertissime vim suam declarasse. Itaque ad bella illa Persica enarranda nobis aggredientibus veterum scriptorum nemo magis quam Herodotus sectandus est. Nam non solum proximus iis auctor est, sed etiam, ut infra videbimus, plerumque fontes caute, simpliciter, integre, sine ira et studio in usum suum convertit.

Inquiramus nunc in descriptiones pugnae Marathoniae et Herodoteam et Ephoream, quanta utraque fide digna videatur. Praemonendum est neque pugnarum ad Artemisium navalium (Herod. VIII 4—22), neque aciei ante proelium Salaminium instructae (VIII 42—48) — proelium ipsum (VIII 85—93) omitto, de quo nihil fere dicit Herodotus —, neque pugnae Plataeensis (IX 49—70) descriptiones Herodoteas perspicuitate aut veritate carere. Iam supra nonnulla exempla attulimus, quibus fides earum comprobatur.

Iniuria iudicavit Niebuhrius, Vorträge über alte Gesch. I p. 394, proelium Marathonium simile videri facinori illi Cynaegiri et ex poetae alicuius carmine in Herodoti commentarios transiisse. Immo potius pugna descripta est a viro vere historico, quem meliores fontes, quam quos Niebuhrius iudicat, adiisse nemo negabit.

Et statim ex l. VI cap. 95 diligentia investigatoris elucet. Persarum enim triremes seiungit accurate a navibus equis transvehendis et diligentissime cursum, quem Persarum naves tenuere, describit.

De cap. 96 Herodoti auctoritatem (Plutarchus), de malign. Herod. c. 36 p. 859, quamvis annalium Naxiorum

scriptores testet afferat, nequit labefactare, nam Naxios a Dati esse subactos effici potest ex Herod. VIII 46. Cf. Stein. n. et Weckl. p. 244.

Nec minus eo fides Herodoti comprobatur, quod neque Persarum neque Graecorum militum numerum tradit, cum navium et mortuorum non ignoret. In sequentibus quoque libris, quot in unaquaque pugna ab utraque parte in aciem producti sint, perbene scit. Nostro loco numeros explorare non potuit. Famam si esset secutus, certe accuratum numerum tradidisset.

Omitto illud exemplum, quod p. 7 n. 3 iam attuli.

Etiam capita 102, 103 in., 105, 107 in., 108 in. optime inter se congruere neque ullam obscuritatis speciem prae se ferre iam supra p. 4 n. 1 demonstravi. Quin etiam pugnam esse commissam die septimo decimo Metagitnionis mensis e solis fere temporum Herodoti indiculis effici posse videtur. Octavo enim die eiusdem mensis et Phidippides et exercitus urbem reliquisse videntur (cf. p. 4 n. 1); Miltiades igitur, cum decimus praetor esset, septimo decimo die exercitui praefuit. Sed hanc sententiam in medio relinquo.

Quae deinde de Plataeensibus, qui compluribus annis ante bello a Thebanis pressi et a Lacedaemoniis, quorum auxilium petierant, reiecti Atheniensium in fidem sese commiserant, narrantur, ex eis denuo apparet, quam diligens scriptor Herodotus fuerit, nam apud Thucydidem III 55 in. legati Plataeensium ita Lacedaemonios alloquuntur:

„— *δεομένων γὰρ ξυμμαχίας ὅτε Θηβαῖοι ἡμᾶς ἐβιάσαντο, ὑμεῖς ἀπεώσασθε καὶ πρὸς Ἀθηναίους ἐκελεύετε τραπέσθαι ὡς ἐγγὺς ὄντας, ὑμῶν δὲ μακρὰν ἀποικούντων.*“

Cf. Herod. VI 108 v. 9:

„*ἡμεῖς μὲν ἑκαστέρω τε οἰκέομεν — συμβουλεύομεν δὲ ὑμῖν δοῦναι ὑμέας αὐτοὺς Ἀθηναίοισι, πλησιοχώροισί τε ἀνδράσι.*“

Tantam igitur fidem Herodotus cum in iis rebus enarrandis praestitet, quas obiter historiae inseruit, eadem diligentia in iis rebus, quas sibi proposuerat, investigandis eum esse versatum iure concludere licet.

Cap. 109 v. 5 verba haec „*ἦν γὰρ ἑνδέκατος ψηφιδοφόρος ὁ τῷ κυάμῳ λαχὼν Ἀθηναίων πολεμαρχέειν (τὸ παλαιὸν γὰρ Ἀθηναῖοι ὁμόψηφον τὸν πολέμαρχον ἐποιεῦντο τοῖσι στρατηγοῖσι*), de quibus iam multa conscripta sunt, ut denuo ea interpretari supervacaneum esse videatur, hunc in modum converto: „Nondum undecimus suffragium suum tulerat, qui sortitione polemarchus Atheniensium factus erat. **Etiamtunc** enim polemarchus aequum ac praetores ius suffragii ferendi exercebat" ac conicio iam eodem tempore, quo praetores (a Clisthene) instituti erant, potestatem polemarchi imminutam esse. Accuratius paulo, quaeso, inspicias illa verba, e quibus efficitur praetoribus maius quam polemarcho imperium mandatum esse, ac suspicari licet eum iam tunc in exercitu ducendo non multum valuisse; id quod Herodotus aequalibus explicandum existimavit, praesertim cum inde a pugna Marathonia polemarchus ullius expeditionis particeps non reperiatur[5]). Quae res sententiam a Schoemanno, Die Verfassungsgesch. Athens nach G. Grotes hist. of Grecce p. 69 sqq. aliisque de polemarcho prolatam confirmare videtur neque persuasum habeo Herodotum polemarchum sortito captum esse narrantem errasse. Huc accedit, quod idem auctor verbis: „*στρατηγὸς οὕτω Ἀθηναίων ἀπεδέχθη*" (c. 104 fin.) diserte et consulto adiecit: „*αἱρεθεὶς ὑπὸ τοῦ δήμου*", quae verba etiamsi omissa essent, tamen locus facile intellegi potuit. Cf. Literar. Centralbl. 1872 p. 680—684.

Cursus Graecorum ille quidem exaggeratus fictus non est neque verbis, quae subsequuntur: „*πρῶτοι δὲ ἀνέσχοντο ἐσθῆτά τε Μηδικὴν ὁρέοντες —· τέως δὲ ἦν τοῖσι Ἕλλησι καὶ τὸ οὔνομα τὸ Μήδων φόβος ἀκοῦσαι*" (112) veritatis superlatio vel traiectio inest. Nam profecto tum primum Athenienses Persas vicerunt; omnibus aliis pugnis, quae antea factae erant inter Graecos et Persas (cf. Herod. I 169, V 2, 102, 110, 113, 120, VI 28 sqq.), illi ab his semper fugati erant.

---

[5]) Anno quidem a. Chr. n. 425 mentio fit polemarchi simul cum praetoribus, tamen ut videtur muneribus iudiciariis fungentis. Cf. C. I. A. I 37 frgm. f et g et Droysenium, Hermes IX p. 13.

Neque quicquam, quod veritatis vel verisimilitudinis modum excedat, pugnae ipsius descriptio brevis et dilucida praebet (Herod. VI 113 sqq.), ex qua efficere potes pugnam gravem fuisse. Cf. 113 in: „*μαχομένων δὲ ἐν τῷ Μαραθῶνι χρόνος ἐγίνετο πολλός*“. 114 in: „*καὶ τοῦτο μὲν ἐν τούτῳ τῷ πόνῳ*“.

Denique quod c. 115 narrat Persas portum Phalericum petentes Aegilea mancipia Eretriensia excepisse, id Herodotus non accepit fama, quae potius Persas quam celerrime Phalerum petiisse narravit, nam Nepos aliique, qui Ephorum secuti sunt, narrant captivos Eretrienses urbe expugnata statim ad regem esse missos. Atque Ephorum, quantum quidem ad pugnam Marathoniam attinet, quamvis inscientem vestigia pressisse fabulosae memoriae infra videbimus. Simul hac narratione Herodotus explicat, quomodo fieri potuerit, ut Athenienses, qui quam celerrime Athenas recurrerunt (c. 116 in.), prius adessent quam Persae. Cf. p. 6 n. 2.

Postremo loco, ut omittam illud „*τοῦτο γὰρ* (sc. Phalerum) *ἦν ἐπίνειον τότε τῶν Ἀθηναίων* (116 fin.)“, dilucidissimum illud indicium, quo narrationem pugnae ex annalibus Philaidarum (venia sit verbo) fluxisse verisimillimum est, silentio non praeteribo. Inscius enim e fonte criminationem, qua Athenienses in Alcmeonidas usi sunt, sumpsit, cum capp. 121—124 demonstrare studuerit, illos Persis clipeum non sustulisse. Cf. Nitzschium p. 243.

Haec mihi dicenda erant de fide Herodoti, neque intellegere omnino possum, cur homines doctissimi quidam eam in dubium vocent, quam Grotius II p. 592 iam laudavit. Et ipse Nipperdeius introd. in Nepot. p. XXIX maximam fidem habet omnibus rebus gestis ab Herodoto narratis.

Narratio autem, quam Ephoro adiudicare licet, tot tantasque res improbabiles exhibet, ut mirer plerosque eidem maiorem, quam par est, fiduciam habuisse neque inquisivisse, quantopere fama sermoneque hominum commutata sit. Inspiciamus igitur diligenter Nepotem, Suidam, Crameri Anecd. Gr. ll. ll., nam quae Plutarchus et Diodorus ll. cc. nobis de ea re tradiderunt, praetereo.

Atque Nepos, Suidas, auctor Anecdotorum inter se consentiunt Eretria expugnata cives abreptos protinus ad regem in Asiam esse missos, id quod supra iam coniecimus unde Ephorus sumpserit. Veri dissimile est Datim captivos, antequam ipse Graeciam relinqueret, in Asiam misisse. Eretria enim erat urbs frequens hominibus; per sex dies cives fortiter moenia defenderant, multi ab utraque parte ceciderunt. Cf. Herod. VI 101. Certe Datis captivos non misit ad regem, quo, quia mancipia erant multa, magna et copiarum et navium multitudine privatus esset. Fama autem, quae pugnam et incursionem maritimam quam celerrime factam intellegi voluit, omnes difficultates, quae ei ita de proelio iudicanti obviam fuerunt, de medio sustulit itaque narravit mancipia Eretriensia iam antea in Asiam esse missa, consilium praetorum in urbe habitum.

Tum falsum est, ut iam supra vidimus, quod tres illi scriptores referunt Persarum navibus Marathonem appulsis Athenienses ex urbe exiisse. Quod si factum esset, Persae nihil antiquius habuissent, quam ut angustias montesque, qui campum Marathonium circumdant, occuparent. Si vero hostes iam paratos adesse vidissent, hoc loco omnino non modo non exposuissent copias, sed etiam hi, quominus illi escenderent, prohibuissent. Recte verba Herodoti cc. 102 in., 103 in., 105 in., 107 in., 108 in. interpretatus clare cognosces utrumque exercitum eodem fere tempore Marathonem venisse. Cf. p. 4 n. 1. Itaque aut neglegenter Herodotum perlegens Ephorus ad illum errorem adductus est, aut fama quoque Persas prius quam Athenienses Marathonem advenisse tradidit. Cf. enim omnes oratores Atticos, ut posteriores omittam.

Deinde quod ad verba Nepotis: „Domi autem creant decem praetores, —, in eis Miltiadem“ attinet, congruenter quidem dicit auctor Anecd.: *„οἱ δὲ εἵλοντο στρατηγὸν Μιλτιάδην“*, sed silet de ea re Suidas, ut sumere non liceat illam narrationem ex Ephoro fluxisse, qui potius nescio an dixerit strategos brevi ante bellum magistratum iniisse. Atque idem sensisse videtur Herodotus VI 104 fin. et 103

in., uti ut posteriore[6]) ita iam tum anno ineunte, Kal. Hecatombaeonis mensis, praetores imperium suscepisse suspicari possimus. Aliud autem vitium Ephoro tribuendum est. Consilium enim praetorum in urbe habitum esse falso rettulit. Quae narratio primo quidem adspectu credibilis videtur, sed accurate excussa nullam fidem prae se fert. Namque ab Ephoro ad suae aetatis consuetudinem immutata videtur, quo saeculo, cum administratio belli difficilior esset facta, Athenienses nisi consilio habito, quemadmodum bellum esset gerendum, certe numquam urbem reliquerunt. Anno autem 490 a. Chr. n., quo unus erat hostis, unus campus, in quo pugnandum, non necesse erat praetores de ratione belli gerendi inter se consulere. Consenserunt inter se hostibus obviam proficisci eosque a finibus arcere utilius esse, quam tota terra vastata urbem oppugnari sinere, praesertim cum Eretria oppugnata ac denique expugnata maxima clade esset affecta. Quamquam igitur praetores cum hostibus manus esse conserendas inter se consentientes urbem reliquerant, tamen castris positis magnisque copiis Persarum spectatis fieri potuit, ut contentio inter eos oreretur, proelio confligeretur necne. Ergo maior fides est Herodoto tribuenda, ac falso Nepotem secuti sunt Grotius II p. 589, Dunckerus IV p. 670 sqq., 683 n., Campius, De pugna Marathonia p. 42, Devasius p. 19, 35—36, Weckleinius p. 274, Busoltius p. 360. Huc accedit, quod fama consilium praetorum non in castris, sed in urbe habitum esse referret necesse erat (cf. p. 51).

Denique Nepos postero die, Suidas autem et Anecd. auctor testantur eodem die, quo Athenienses profecti sunt, proelium commissum esse. Sed hi omittendi sunt, nam Suidas prodit: „*καὶ ἐν αὐτῇ φασι τῇ ἡμέρᾳ ἐνίκησαν*. Suspicari licet Ephorum aeque ac Nepotem postero die dimicatum esse narrasse. Denuo famae vis cognosci potest.

Ad universam descriptionem pugnae conficiendam, qualem apud Nepotem legimus, in qua maxima celeritate

---

[6]) Cf. Droysenium l. l. p. 3, 16, 21 et Gilbert., Beiträge zur innern Gesch. Athens im Zeitalter des peloponnes. Krieges p. 6—14. Cf. C. I. A. I 273.

res alia aliam excipit, fama sermoque hominum magnam vim habuit.

Cum igitur ita res se habeat, recte in dubium voco narrationem pugnae Ephoream ac satis superque hoc iudicium demonstrasse mihi videor. Equidem puto Herodotum in iis, quae de bellis Persicis tradidit, maximam fidem mereri atque eum solum in illis enarrandis esse sequendum.

Haec satis esse mihi videntur de fontibus ad pugnae Marathoniae hostoriam pertinentibus. Ad alias res transgrediamur.

Caput II.

Hoc capite de tribus rebus quaestio erit, de quibus nondum satis accurate explicatis tam discrepantes sunt sententiae doctissimorum hominum, ut verendum mihi sit, ut hanc quaestionem ad finem quendam perducere possim.

Ac primum quaeramus, quantus fuerit utriusque exercitus numerus.

Persarum sescentas triremes trecentasque fere naves onerarias ab subiectis gentibus maritimis, praecipue ab Ionibus, Aeolibus, Hellespontiis (cf. Herod. IV 89) paratas, exercitu c. 50 000 militum pedestrium et 10 000 equitum impletas, fuisse equidem puto. Herodotus numerum militum nobis non tradidit, sed alii:

Ps. — Lys. orat. fun. 21, Ps. — Plat. Menex. 240, Schol. Aristoph. Nub. 982, Vita Aeschyli, Libanius IV p. 338: 500 000;

Suid. s. *Ἱππ. Ἀθην. τύρ.* (= Anecd. Gr.), Ps. — Plut. Parall. min. I: 300 000;

Suid. s. *Ποικίλη* . . . : 200 000 ceciderunt;

Nep. Milt. 4: 200 000 peditum et 100 000 equitum, c. 5: In aciem producta sunt 100 000 peditum et 10 000 equitum;

Iustin. II 9 (= Oros. II 8): 600 000; 200 000 seu proelio sive naufragio amisere Persae;

Valer. Max. V 3 ext. 3 . :	300 000	devicta sunt;
Pausan. IV 25, 5 . . . . :	300 000	ceciderunt;
Zosimus I 2 . . . . . . :	90 000	ceciderunt;
Ps. — Plat. Menex. 240 . :	300	naves;
Nepos, Milt. 4 . . . . . :	500	naves;
Herod. VI 95 . . . . . :	600	naves, qui ceterum

Persarum copias ingentes fuisse cogitavit: Cf. enim VI 95, VII 1, 10β, IX 27. Idemque in ceteris expeditionibus Persarum non parvos numeros exhibet: Cf. IV 87, VII 186, VIII 113.

Denique Aeschylus Pers. v. 244 dicit exercitum Medorum permagnum et bene ornatum fuisse.

Sed intelleges paucis horum scriptorum credi posse, plerisque nullam fidem habendam. Omnibus aliis omissis de navibus Herodoti, de militibus Nepotis (et Suidae s. *Ποικίλη*) ratio est habenda. Hic cum Milt. 4 200 000 militum et Milt. 5 100 000 enumeraverit, prior numerus remiges et classiarios complectitur.

Navium onerariarum, quae triremes sescentas secutae sunt, numerum Herodotus non exhibet, ac falso suspicatus est solus Campius p. 16 easdem numero triremium comprehensas esse. Constat autem numquam *ἱππαγωγοὺς ναῦς* appellari *τριήρεις* neque in plerisque expeditionibus maritimis naves onerarias numerari.[7])

Finlayi[8]) p. 11 sqq. et Campii p. 16 rationes copiarum Persicarum parum accuratas praetereo, cum numerum et remigum et militum centum milium fuisse arbitrati summam non multo maiorem computaverint, sed non recte; nam sescentarum navium remigum et classiariorum non sunt, ut illi dicunt, 60 000, sed 90 000—102 000. Constat enim unamquamque navem veterum c. 150—170 remis actam esse. Itaque Herodotus VII 184 unicuique navi ducenos homines, quorum erant 150—170 remiges, reliqui autem classiarii (*ἐπιβάται*), impositos esse suspicatur, quibus ducenis Xerxes

---

[7]) Cf. Herod. VII 89, 97, ubi duo illa navium genera diligenter segregantur. Cf. Herod. VIII 2; 48, 7.

[8]) On the battle of Marathon: Transactions of the Royal society of Literature, vol II p. 360—380, vert. Hoffmann. Die alten Geographen und die alte Geographie p. 1—33, quo libro usus sum.

in singulis navibus tricenos Persas vel Medos vel Sacas adiunxit, qui certe maxima ex parte hoplitae erant.

Quem locum spectans Leakius[9]) p. 104 suspicatus est Datim hanc multitudinem in Atticam duxisse:

In 600 triremibus
30 000 hoplitarum et
90 000 remigum, quos simul sagittarios fuisse Leakius putat.
120 000.

In 300 navibus onerariis
7 000 equitum et
50 000 nautarum, in quibus iterum 10 000 sagittariorum numerantur.
177 000 Persarum.

Sed non accurate Herodotum secutus est, cum 30—50 classiariis subiectarum gentium in singulis navibus plane omissis omnes remiges pugnae participes fecerit. Accedit, quod fere 140 000 militum numerus maior est, quam ut fidem mereatur.

Devasius quoque p. 22—23 classiarios, qui praeter Persas in navibus esse solebant, omisit et levem armaturam remigum numero inclusit. Collatis autem his locis:

Herod. VI 15 (40 hoplitae), VII 184, VIII 17,
Thucyd. I 29 (27 Corinthii), I 57 (33 Athenienses), I 61 (50 Athenienses), II 56 (40 Athenienses), IV 42 (25 Athenienses)

„on en peut“, inquit, „inférer avec assez de vraisemblance que l'infantérie régulière — des Perses était de 18 000 hommes au moins et de 30 000 au plus. Le chiffre de 20 à 25 mille hommes doit se rapprocher beaucoup de la vérité“. Ad hanc multitudinem e remigibus 40 000—45 000 leviter armatorum addidit ac c. 65 000 militum pugnae interfuisse suspicatur. Recte dubitat de decem milium equorum numero, quem tamen non plane incredibilem esse infra videbimus.

[9]) On the Dems of Attica: Transactions of the Royal society of Literature, vol II p. 160 sqq., convert. Westermann., quo libro usus sum.

Totidem, quot ille homo doctus conicit, fere Persas fuisse alia et meliore ratione efficiam. Nam persuasum mihi est summam Persarum fuisse c. ducentorum milium. Herodoti testimonio constat sescentas naves eorum fuisse. Iam unaquaeque triremis portat tricenos Persas vel Medos et ex ea gente, quae navem instruere erat iussa, ducenos homines, quorum 30—50 munere classiariorum funguntur. Neque enim habemus, cur Datim et Artaphrenem minorem manum singulis navibus imposuisse arbitremur. An naves Persarum intra decem annos illos mutatas et maiores esse factas putabimus? Illa Xerxis classis multis copiis impleta ad pugnas maritimas faciendas erat destinata, anno autem 490 nulla exstitit classis Graeca, quae Persis resistere posset, nam Athenienses Aeginetas numero navium aequare vix potuisse scimus. Cf. Herod. VI 89. Quam rem si respicimus, naves Persarum militibus quam plurimis impletas esse suspicari licet. Peloponnesiaco quoque bello Athenienses plures quam solebant milites triremibus imponebant, cum illos tantum traicere volebant.[1]) Itaque etiamsi concedendum est expeditionem Datis fuisse non maritimam, tamen classiariis impletas esse naves credendum est, scilicet eis, qui in terra leviter armati militabant. Utique hae copiae maiorem partem exercitus Persici efficiebant, et in Marathonia quoque pugna Athenienses cursu citato Persas aggressi sunt, ut levis armaturae sagittas, lapides, alia tela evitarent.[2]) Remiges autem non omnes militabant, immo nescio an minima eorum pars. Hi igitur sescentis navibus impositi fuisse mihi videntur:

90 000 remigum,
30 000 classiariorum, qui in terra levi armatura pugnabant.
18 000 Persarum, Medorum, Sacarum etc. gravis armaturae.

138 000.

Tum Thucydides VI 43 fin., quem locum adhuc omnes recentiores praeteriisse miror, nobis tradidit ab Athenien-

[1]) Cf. Thucyd. I 61 (50 hoplitae), II 56 (40 hopl.), VI 43 (47 hopl.), VIII 25 (73 hopl.).

[2]) Cf. Herod. VI 112; Justin. II 9: „— citato cursu ante iactum sagittarum“.

sibus una nave oneraria triginta equos in Siciliam esse transportatos. Itaque ad decem milia Datis equorum transvehenda 333 naves onerarias paratas esse arbitror. 150 remiges unicuique navi imponens hasce rationes invenio:

In 333 navibus onerariis

	49 950 remigum,
	10 000 equitum,
	10 000 calonum,
	69 950
Adde	138 000

207 950 : Tantus igitur universus Persarum exercitus fuit.

Concedendum est numerum decem milium equitum a teste parum locuplete memoriae traditum esse, ac dixerit quispiam eum fictum esse a Nepote, praesertim cum ne alii quidem scriptores praeter Herodotum de equis eorumve multitudine quicquam rettulerint. Equites autem exercitui Persarum interfuisse Herodotus VI 95, 101, 102 fin., 112 testatur. Quot autem fuerint, diiudicare non audeo. Si vero respicimus decem milia equitum quintam partem esse pedestris exercitus, ac Persas semper multos equites in exercitibus habuisse, numerus non plane in dubium vocandus est. Atque ut fuerint equites pauciores, tamen 200 000 numerus non admodum imminuitur. Neque enim praetermittendum est eos, qui Persarum in insulis in pugna vel expugnatione ceciderant, captis hostibus esse suppletos. Cf. Herod. VI 99.

Deinde Atheniensium erant novem milia civium gravis armaturae, quibus, cum Marathonem pervenissent, mille Plataeenses accesserunt. Herodotus quidem de magnitudine exercitus nihil prodidit, sed plerique alii scriptores:

Nepos, Milt. 5 (= Schol. Aristoph. Eqq. 781), Ps.— Plut., Parall. min I, Suid. s. *Ἱππ. Ἀθην. τύρ.* (= Anecd. Gr.), Pausan. IV 25, 5, X 20, 2 illos numeros exhibent. Dissentit Iustin. II 9 (= Oros. II 8), qui 10 000 Atheniensium et 1000 Plataeenses, et Libanius IV 338, qui 10 000 Atheniensium habet. Unusquisque hoplita hominem levis armaturae secum habuit. Cf. Herod. IX 29, 30. Atheniensium igitur et Plataeensium civium decem milium numero

totidem fere servis aliisque leviter armatis adiunctis universam Graecorum multitudinem 20 000 militum fuisse colligimus.

Numerus Atheniensium militum magnus est neque vero in tanto rerum discrimine nimius; omnes enim nervos contenderant. Cum Aristagoras eis, ut seditionem Ionum adiuvarent, persuaderet, in contione adfuisse triginta milia Herodotus V 97 narrat, id quod fidem excedit. Sed illud iure suspicari licet anno 490 certe c. decem milia civium fuisse, qui arma ferre possent. Cf. Herod. VIII 65. Initio belli Peloponnesiaci Atheniensium erant 29 000 hoplitarum: Cf. Thucyd. II 13, Aristoph. Eccles. 1132.

Altero loco de equitatu disseram. Cum enim Herodotus VI 102 Hippiam propterea Marathonem naves appulisse, ut, si opus esset, in campo bene explicari possent turmae equitum, narraverit, in pugna ipsa — solis verbis c. 112 exceptis: „οἱ δὲ Πέρσαι — παρεσκευάζοντο ὡς δεξόμενοι, μανίην τε τοῖσι Ἀθηναίοισι ἐπέφερον καὶ πάγχυ ὀλεθρίην, ὁρέοντες αὐτοὺς ὀλίγους καὶ τούτους δρόμῳ ἐπειγομένους, οὔτε ἵππου ὑπαρχούσης σφι οὔτε τοξευμάτων“, e quibus equidem concludo Persas in acie equites habuisse — equitatus nullo verbo mentionem fecit. Iure igitur quaerimus, equites pugnae interfuerint necne. Res perdifficilis est diiudicatu, et iam frustra homines doctisssimi omnem impenderunt laborem, ut aliquid veri aut verisimilis efficerent, sed ad eas sententias adducti sunt, quas nullo modo amplecti possimus. Videamus deinceps, quae ea de re proposuerint.

Quod Finlayus p. 25 Suidae s. χωρὶς ἱππεῖς frustulum illud dubium afferens suspicatur Datim cum equitatu pabulandi causa Tricorythum recessisse omittere licet. Tale quid si factum esset, memoria hominum non excidisset. Tum Nepos et Herodotus VI 112 planissime ei contradicunt. Accedit, quod ne cogitari quidem potest Datim per totum temporis spatium, quo pugnatum est, afuisse neque Graecis aggressis quam celerrime ad auxilium esse vocatum. Quomodo autem proelio commisso naves conscendere potuerint equites, doctus homo neque aperuit neque potuit

aperire. Denique ex Herodoto apparet Persarum universam multitudinem naves ascendisse.

Alia autem Curtius, Gött. Gelehrte Anzeigen 1859 p. 2013 et Griech. Gesch. II^5 p. 24 et n. 14 p. 824, coniecit, qui novam quandam de pugna opinionem proposuit, quae veterum scriptorum auctoritate non firmatur. Duae res viri illius doctissimi dubitationem moverunt. Primum, quod equitatus in pugna nulla omnino est mentio facta; deinde explicare nequit, quomodo factum sit, ut tanta celeritate, sine perturbatione Persarum copiae naves conscenderent. Recte, sed falsam huius rei explicandae viam ingressus est. Nam illo Suidae fragmento nisus Persas existimat, cum per novem dies frustra exspectassent, dum Graeci in campum descenderent, signo clipei dato commotos protinus triremibus copias imponere et in alium Atticae locum appellere consilium cepisse et primum equitatu triremes implevisse. Graecos autem hac occasione oblata partem exercitus Persici, quae ceteris naves conscendentibus praesidio relicta esset, aggressos fugasse et septem naves cepisse. Qua ratione explicari, cur Miltiades neque antea neque postea proelium commiserit. Denique casu eodem die pugnatum esse, quo Miltiades summum imperium habuerit.

Ac merito quidem de hac rerum explicatione Campius p. 41, 57—58, Weckleinius p. 275, Devasius p. 37, Busoltius p. 363 n. 92 dubitarunt, sed meliorem ipsi non proposuerunt. Quorum causas sententiasque, quibus Curtii opinionem refellisse sibi videntur, repetere longum est. Unam causam, quam Campius p. 57 bene illi opposuit, commemorare mihi liceat. Constat enim „castra a Persis relicta cum immensa praeda a Graecis capta esse. Cf. Herod. VI 113 fin., Nep. Milt. 5, Plutarch. Arist. 5. Atque si Persae eo consilio, quo Curtius putat, avehi voluissent, num castra cum ingentibus divitiis reliquissent? Non ante omnia alia navibus imposuissent? cum praesertim non domum navigare, sed alio loco rem denuo tentare statuissent, ita ut tentoriis ceterisque rebus, quae in castris esse solent, brevissimo tempore rursus sibi opus futurum esse intellegere deberent.“

Sed etiamsi omnes has gravissimas dubitationes, quas

habet Curtii opinio, omittimus, tamen nullo modo probari potest. Idem enim de illa mihi censendum est, quod iam supra ad Finlayi suspicionem refutandam dixi. Artis criticae non est accuratam Herodoti narrationem neglegere aliisque, quae commenti speciem prae se ferunt, postponere. Tam diversae narrationes quomodo inter se consociari et coniungi possint, equidem non intellego.

Videamus iam, quam sententiam de proelio exhibeat Campius, qui maxime a vero aberravit. Nam Herodotum Homerum imitantem ad eius normam et exemplum historiam suam concinnasse et epica quadam ratione adornasse famamque secutum omne bellum Persicum rettulisse suspicatus gravissimum illum auctorem plane neglexit (cf. pp. 2—7, 28 sqq., 41, 44 etc.) et hanc rerum gestarum seriem animo effinxit:

VI vel VII die Metagitnionis mensis cleruchos Atheniensium Eretria Athenas venisse,
VIII d. M. m. Phidippidem Spartam decurrisse,
XI d. M. m. Eretriam esse captam,
XV d. M. m. Persas Euboeam navibus reliquisse et
XVI d. M. m. Marathonem appulisse,
XVII d. M. m. pugnam commissam et
XIII d. M. m. Eretriae expugnationem Lacedaemoniis nuntiatam esse, qui
XVIII d. M. m. postridie pugnae Athenas pervenissent.

Miltiades non solum Athenis, sed etiam Marathone, Halis, Phylae, Sunii praesidiis collocatis „cum eo exercitu, qui his praesidiis detractis supererat, fortasse sub Brilessi montis radicibus meridiem spectantibus castra posuit, unde et ipse brevissimo tempore et Marathonem et Halas et Phylam venire atque celerrime omnes exercitus partes contrahere poterat. —. Persas igitur apud Marathonem escendere in terram nuntio ad Miltiadem perlato Miltiades, priusquam Persae omnes copias exposuissent, eo properavit locumque natura et arte munitum in Argaliki monte situm occupavit. Iam omnibus Atheniensium copiis et Plataeensibus in unum coniunctis omnibusque praesidiis adiectis soli aberant,

qui Sunium quique Athenas ipsas tuebantur. —. Atque sic, cur non omnes Atheniensium copiae pugnae interfuerint, intellegitur. Datis vero Graecos aggredi decrevit (p. 42—43)." Omitto viro militari dignam rationem, qua Campius aciem Persarum instruxit p. 62—63. Sed errat, nam constat ex Herodoto VI 112, Nepote Milt. 5, Plutarcho Arist. 5, Pausania I 15 Graecos nec Datim priorem impetum fecisse. Nepotem quidem testem affert, sed neglegenter eum perlegit. „Omnes", inquit, „Persarum utriusque cornus impetus reiecti sunt, Graecique fortasse, cum Persas defessos et debilitatos viderent, ipsi adversarios aggressi sunt cursuque citato — proruperunt, quo hostes in fugam coniecti sunt. Interea Persis et Sacis (qui mediam aciem tenebant) pugna melius successerat etc. Cum autem ab utroque latere circumveniri se viderent, in campum fuga se receperunt, ubi primum quidem ipsi resistere coeperunt, deinde ab equitibus excepti et adiuti Athenienses, ne victoriam longius persequerentur, impediverunt (p. 63—64)."

Scuti candidi nullo verbo mentionem facit, quin etiam dicit Datim clade demum accepta consilium cepisse Sunium praetervehi Athenasque occupare. Haec hactenus.

Ad Weckleinii p. 276 pugnae descriptionem transeamus. De fide Herodoteae narrationis nimium dubitans opinionemque a Curtio de pugna prolatam in universum amplectens Suidae s. *χωρ. ἱππ.* narratiunculae Theopompi fragmentum 167 et historiunculam illam malevolam calumniatorum ignotorum (cf. (Plut.) de malign. Herod. c. 27) addidit atque frustulis illis valde dubiis maximam fiduciam habens hunc in modum proelium descripsit:

Clipeum ante pugnam erectum esse conicit discrepans ab Herodoto VI 116, qui disertissime dicit facto demum proelio scutum ab hostibus esse conspectum. Quo signo ante pugnam dato Weckleinius existimat omnia explicari. Namque Hippiam cum Atheniensibus coniuratis secreta consilia iniisse, ut, ubi primum exercitus Athenas reliquisset, profectionem eius clipeo candido in Pentelico in altum sublato sibi indicarent. Quo signo dato eum protinus naves conscendere et Athenas praesidiis nudas opprimere in animo habuisse.

Itaque Persas exspectantes, dum hostes ex urbe exirent, diu inertes Marathone sedisse. Sperasse quoque Hippiam Athenienses iterum, ut multis annis ante, cum huc escendisset cum patre suo, apud Pallenam castra esse posituros. Rem autem secus cecidisse. Athenienses enim non apud Pallenam constitisse sed statim Marathonem profectos Persas naves conscendentes oppressisse et facile vicisse.

Ut omittam hanc opinionem non magis quam alias cum Herodoti et Nepotis verbis consociari posse atque iam ob hanc unam causam non esse amplectendam, pauca quaedam ei opponere mihi liceat. Si accidisset, quod Weckleinius putat, Athenienses quoque in itinere certe vidissent scutum erectum, itaque signum forsitan effecisset, ut illi aut quam celerrime Marathonem properarent aut metu haesitantes in omnes partes exploratores mitterent, qui, quae gererent hostes, nuntiarent. Sed fac Graecos ad Pallenam castra posuisse. Non potuerunt tamen Persae eos clam praetervehi. Neque quisquam dubitabit, Athenienses recurrentes quin prius in urbem pervenire potuerint, quam illi. Deinde si Weckleinii opinionem amplexi ponimus Athenienses aliquot diebus post, quam hostes appulissent, domo profectos esse, certe antea Marathonem exploratores iam praemisissent, ut Persae clam eos naves conscendere non possent.

Denique silentio praeterire nolo Weckleinium p. 273 haec verba Plutarchi l. l.: „*πρόσκρουσμα βραχὺ τοῖς βαρβάροις ἀποβᾶσιν*“ ita convertisse videri: „brevis in hostes d i s c e d e n t e s impetus“. Numquam autem illud *ἀποβαίνειν* nostro loco valet „recedere, discedere, abire“, sed „e navibus in terram escendere“. Namque si voci *ἀποβᾶσιν* illa vis esset subiecta, Plutarchus numquam „aoristo“ usus fuisset. Barbari enim, qui recesserunt, opprimi non possunt. Sed *ἀποβαίνειν* dici etiam „sine adiunctione“ pro „descendo in terram ex equo vel ex navi“ Stephanus his exemplis demonstrat: Xenoph. Hellen. I 1, 18: „*καὶ αὐτὸς ἀποβὰς ἐν τῇ γῇ μαχόμενος ἀπέθανεν*“, Thucyd. VI 94, 2, Polyb. I 29, 5, III 19, 2, XII 4, 4. „Sed ibi facile subaudiri posse ea verba ex praecedente versu“. Addo illis locis
Herod. I 24 fin.: *ἀποβάντα δὲ αὐτὸν χωρέειν ἐς Κόρινθον,*

Plutarch. Sol. 8 p. 162 v. 16: *χορεύειν προσέταξε πρὸς τῇ θαλάσσῃ, μέχρις ἂν ἀποβῶσιν οἱ πολέμιοι,*
Isocr. Panegyr. 87: *πυθέσθαι τε τὴν ἀπόβασιν τῶν βαρβάρων,*
Plut. Cim. 13 in.: *Τῶν δὲ πεζῶν ἐπικαταβάντων πρὸς τὴν θάλασσαν μέγα μὲν ἔργον ἐφαίνετο τῷ Κίμωνι τὸ βιάζεσθαι τὴν ἀπόβασιν,*
Himerii orat. polem. 20: *οὔπω μὲν γὰρ ἔφθησαν τὴν ἀπόβασιν τῶν βαρβάρων πυθόμενοι, καὶ τὸν ἐνόπλιον ἔθεον· οὔπω δὲ τοῖς ἀποβᾶσιν συνέμισγον καὶ παραυτίκα ἐτρέποντο,*
Thucyd. I 45: *ἢν μὴ ἐπὶ Κέρκυραν πλέωσι καὶ μέλλωσι ἀποβαίνειν ἢ ἐς τῶν ἐκείνων τι χωρίων*
ac suspicor illa verba Plutarchi e conexu narrationis calumniatorum sumpta esse, et eum verba *εἰς τὴν γῆν* vel *εἰς τὴν Ἀττικήν* adicere omisisse. Accedit, quod a multis aliis scriptoribus, qui pugnae mentionem fecerunt, vox *ἀποβαίνειν* saepissime usurpata semper „e navibus escendere" significat.

Satis superque Weckleinii opinionem refellisse mihi videor.

Similiter ac Campius sed tamen ab eo discrepans Devasius p. 29—31 suspicatus est Miltiadem, cum Persas Marathonem appulsuros esse certior factus esset, protinus urbe relicta inter Pentelicum et Hymettum in extrema valle castra posuisse, unde brevissimo tempore et Marathonem et in alium locum, quocumque hostes egredi conarentur, auxilio veniret. Itaque eum Persas in campum escendentes, cum maxima pars equitatus nondum navibus vel Euboea egressa esset, adortum esse. Qua ratione explicari, Herodotus cur equitum mentionem non fecerit et paucae naves ab Atheniensibus captae sint.

Quae coniectura quamvis ingeniosa tamen valde ab eis, quae Herodotus et alii narrarunt, discrepat.

Busoltius p. 361—362 et n. 92 denique Curtii opinionem in universum amplexus, ut alii, illud Suidae frustulum narrationi Herodoteae inserere non dubitavit neque Weckleinii errorem intellexit: „*Ἀποβαίνειν*", inquit, „ohne weiteren Zusatz kann man schlechterdings nur mit „fortziehen" übersetzen."

Haec satis esse mihi videntur de opinionibus illorum, quos perspicuum est frustra omnem operam impendisse, ut veram proelii rationem explicarent. Difficultates, quas Herodotus de equitatu silens nobis attulit, omnino expediri nequeunt, ac praestat confiteri nos de ea re ad certum iudicium pervenire non posse, quam diutius coniecturis indulgere. Sed breviter tamen exponam, quomodo mea sententia pugnatum ac conscensio in naves facta sit. Equitatus certe in campo fuit neque in navibus. Cf. etiam Grotium II p. 594. Quin etiam in acie constitit. Nam cum Persae Athenienses irruentes, quod equites non haberent, furere arbitrarentur (cf. Herod. VI 112 v. 6 sqq.), iure suspicari licet eos suo equitatu in aciem producto se facile hostes victuros esse sperasse. Quamquam in sequentibus Herodotus equitum non facit mentionem, tamen difficile est putare eos pugnae participes non fuisse. Ulterius autem suspicando progredi non licet. Nescio an illi primo statim impetu a Graecis facto fuga utriusque cornus implicati una cum peditibus in triremibus salutem petierint et media acie cum Atheniensibus dimicante eas conscenderint. Quamquam non praetermittendum est propter ipsum equitatum Persas Marathonem appulisse; quamobrem recte dubites, num hic potissimum tam celeriter aciem reliquerit. Sed tamen illa suspicione forsitan explicetur, cur Herodotus de equitibus sileat. Nam si diutius pugnassent, certe, ut aliter res caderet, effecissent neque quidquid fecissent memoria hominum excidisset neque ab Herodoto esset omissum. Utut est, quandocumque equitatus fugit, conscensio in naves facile explanatur. Nam cum etiam media acies Medorum fusa et fugata usque ad mare sese recepisset, denuo atrox proelium utrimque accensum est, ex quo Persae victores exiisse videntur, non amplius enim quam septem triremes amisere. Itaque Graeci repulsi, quominus hostes triremes ascenderent, impedire non potuerunt, quae conscensio sine dubio quam celerrime facta est, sed certe non sine ordine neque praeceps, nam eodem die Phalerum petiisse non videntur. Qua falsa opinione, quam posteriores — Nepos, Plutarchus, alii — praecipue autem oratores rem in maius extollentes nobis

suppeditarunt, omnes adhuc pugnam illam explicare conati sumus.

Postremo Lollingius p. 89 sqq. discrepans a Finlayo p. 1 sqq., 22—25 ap. Hoffm., quem recentiores adhuc omnes in campi atque utriusque aciei descriptione secuti sunt, suspicatus est in valle Avlonensi, quae est pars remota vallis inter Argaliki et Cotroni montes Vranensis, Herculis templum situm fuisse et constitisse exercitum Graecum.

Sed ex ea nec Persae observari, nec sola via, quae secundum mare Athenas ducebat, custodiri potuit. Nec minus idem homo doctus a vero aberrat, quod proelium commissum esse in exitu vallis Vranensis existimat. Nam inter Argaliki et Cotroni montium radices num Persae se equitum turmas bene esse explicaturos sperare ac merito eos insanos putare potuerunt, qui ex valle sine equitatu procurrerent? Herodoto Graeci Medos in castris in litore collocatos adorti esse videntur, id quod verisimillimum est. Cf. etiam Nepotem et Plutarchum Arist. 5, qui narrant Athenienses priores esse aggressos. Lollingii autem sententiam si sequimur, non prius illi, quam Persae usque ad exitum vallis Vranensis processissent, subito ex munimentis irruentes impetum in eos fecerunt. Quod denique ad tumulos attinet, quos Lollingius in valle Vranensi repperit, nihil ei obstat opinanti ibi Persas mediae aciei, qui a Graecis circumclusi ceciderant, sepultos esse. Recte iam Grotius p. 594 monuit non accurate statui posse, quo loco utraque acies instructa sit, ubi Persae et Athenienses castra posuerint. Sed quoquo modo res se habet, Finlayus de ea quam accuratissime disseruisse mihi quidem videtur.

Restat, ut inquiramus, qui tum fuerit Athenis status rei militaris. In quo praeter alios, quos omnes enumerare longum est, ratio mihi habenda est Lugebilii l. l., qui ut uberrime ita falsissime de polemarcho, strategis multisque aliis rebus, quae ad pugnam Marathoniam pertinent, disputavit et contendit non Miltiadem, sed potius Callimachum polemarchum Atheniensibus in pugna Marathonia praefuisse.

At iam summo iure ei adversati sunt Schoemannus, Jahrb. f. cl. Philol. 1872 p. 145—168, Philippius in Literar. Centralbl. 1872 p. 680—684, Arnoldus, De Atheniensium saeculi a. Chr. n. V praetoribus. Sed non omnia argumenta, quae ille proposuit, ab his hominibus doctis refutata esse miror, ut denuo in illius sententiam inquirere non supervacaneum mihi esse videatur.

Lugebilius igitur Grotium II p. 437 et Muellerum, Jahrb. f. cl. Philol. 1857 p. 754—761 secutus pro certo statuit, quin etiam Herodoti ipsius testimonio efficere studuit Callimachum summum ducem Atheniensium fuisse; id quod ei visum est apperere ex his causis:

I. Primum, quod concilio praetorum polemarchus praesidet. Cf. Lugebilium p. 599—602. Quod verum esse ut concedamus, tamen iure negavit Schoemannus hac re eum exercitui praefuisse probari. Sed ulterius progredi potuit, nec Callimachus, sed praetores singuli singulis diebus concilio praesederunt. Nam eundem eodem die, quo summum imperium tenebat (cf. Herod. VI 110), concilio praesedisse consentaneum est. Perperam Lugebilius p. 629—631 sentit prytaniam non ad praetores, sed ad tribus singulas singulis diebus in dextro cornu collocatas pertinere itaque Miltiadem die suo legitimo una cum sua tribu in illo cornu constitisse. Atque ex Plutarchi, Quaest. conv. I 10, 3,[3]) dubia narratione concludit Miltidem Laciaden tribus Aeantidis fuisse. Quae conclusio non esset falsa, nisi nuper demum illo iam tempore, quo Attica in decem tribus divisa erat, pagum Laciadarum tribus Oeneidis fuisse e titulo quodam innotuisset *Ἀθήναιον* V 526 (cf. Jahrb. f. class. Philol. 1877 p. 808).

II. Deinde sententiam suam ita fulcire studet Lugebilius p. 604, in proelio ipso polemarchum dextro cornui praefuisse ut censeat, id quod copia exemplorum non probavit. Immo polemarchus summum exercitus imperium, quod olim regis fuerat, non iam obtinuisse videtur, cum decem praetores instituti essent; ex quo tempore, quod regiae

---

[3]) *καὶ τὸ δεξιὸν κέρας Αἰαντίδαις τῆς ἐν Μαραθῶνι παρατάξεως ἀποδοθῆναι.*

olim dignitatis fuerat, iam honoris causa ei tributum est, ut dextro cornui in acie praeesset.[4]) Denique verba Herodoti VI 111 v. 5: „ἡγεομένου δὲ τούτου ἐξεδέκοντο κ. τ. ἑ.“, quae Lugebilius p. 603, 625 falso ita convertit: „Dieser war der Befehlshaber. Die Phylen folgten aber auf einander u. s. w.“, mea quidem opinione sic potius convertenda sunt: „Während dieser also voraufging, d. h. auf dem äussersten rechten Flügel stand, schlossen sich (an diesen Führer) der Reihe nach die Phylen an u. s. w.“ Vox enim ἡγεῖσθαι hoc loco non valet „ducem, imperatorem esse“, sed „praeire, praecedere“, quae est significatio primaria vocis, ex qua illa „ducem esse“ derivata est. Cf. etiam Herod. VI 102 fin: „ἐς τοῦτό σφι κατηγέετο Ἱππίης“, VI 107 in: „τοῖσι δὲ βαρβάροισι κατηγέετο Ἱππίης ἐς τὸν Μαραθῶνα“, IX 15 v. 5: „οὗτοι δὲ αὐτῷ τὴν ὁδὸν ἡγέοντο“. Longum est alios aliorum scriptorum locos enumerare. Nil igitur contradicit meae sententiae, quamvis duobus locis Herodoti VII 148, 161 vox „ducem esse“, „summum imperium tenere“ significet et nostro loco absolute, „sine adiectione“ usurpata sit. Cf. Thucyd. III 45, 5: „ὁ μὲν ἡγούμενος, ἡ δ' ἐφεπομένη“ et Platon. Phaed. p. 93 A.

III. Postremo Lugebilius p. 645—650 tres causas affert, quibus id, quod proposuit, minime probavit. Sed omitto illas, quae a Schoemanno satis superque refutatae sunt. Tertium autem argumentum, quod a Polemone Laodicensi, rhetore secundi post Chr. n. saeculi, Lugebilius repetivit in „laudationibus duabus funebribus in Cynaegirum et Callimachum“ exercitui Atheniensium Callimachum praefuisse narrante, certe idem refellere operae non pretium esse existimavit. Neque solum ex inscriptione illa libelli, sed etiam ex nugis et ineptiis, quas plurimas continet, satis apparet ei testi non fidem habendam esse. Postremo ne Plutarchi quaest. conv. I 10, 3 omittam, quo loco Lugebilius Callimachum ducem Atheniensium fuisse confirmatum esse arbitratus est, Schoemannus iam concessit re vera

---

[4]) Cf. Sauppium, Commentatio de creatione archontum atticorum p. 26 et Arnoldum p. 5.

Plutarcho Callimachum exercitum ex urbe duxisse visum esse. Hunc autem nuntium ex Cratero fluxisse concedendum non est.

Haec habui, quae de Lugebilii opinione dissererem. Iam ipsi videamus, qualis tum status rei militaris apud Athenienses fuisse videatur.

Primum decem praetores etiamtunc quippe tributim non ex universo populo creati suae quisque tribui praefuerunt. Ac tribuum habitam esse rationem in creatione praetorum, sicut archontum, cum ex exercitu tributim in pugna Marathonia instructo, tum ex Plutarch. Cimon. 8 (*δέκα ὄντας ἀπὸ φυλῆς μιᾶς ἕκαστον*) apparere existimo.[5])

In acie ipsa tribus ordine variabili et quotannis sorte constituto, quo etiam prytaniae numerabantur, sese exceperunt.[6]) Iniuria autem Westermannus, N. Jahrb. f. Phil. 1842 p. 147—151 contendit in illa acie constanti ordine tribus instructas esse. Recte quidem Plutarchi Arist. 5 et Quaest. conviv. I 10, 3 narrationes, quae eius sententiae contradicunt, in dubitationem vocavit. Titulis autem illis militaribus C. I. G. I 168b, 169, 171, 172 (= C. I. A. I 443, 447, 446), quibus suam opinionem firmare conatur, minime mihi quidem comprobari videtur tribus certo ordine in acie sese excepisse. Tabulis enim illis, quae in Ceramico olim in publicis sepulcris positae erant, nomina eorum, qui in bellis quibusdam occubuerant, ex constanti serie phylarum inscripta erant. Sed ex hac re minime concludere licet eosdem vivos eodem ordine in acie constitisse. In sepulcris publicis sane nil interest, quem locum in acie habuerit tribus, cuius sunt illi, qui in Ceramico sepulti sunt. Consentaneum potius est nomina mortuorum certa illa phylarum serie memoriae tradita esse, ut ab cognatis defunctorum vel ab aliis facilius reperiri possent. Minime igitur illa Westermanni conclusio probari potest. Alia est ratio, qua in titulis illis, qui indices novenorum archontum singulis annis creatorum

---

5) Cf. etiam Boeckh., C. I. Gr. I p. 294, 906; Kubicki, De magistratu decem strategorum a Clisthene instituto et de archaeresiarum tempore, Berol. 1865, p. 27, Droysen. l. l., alios.

6) Cf. Boeckhium, Z. Geschichte d. Mondcyclen der Hellenen in Jahrb. f. cl. Phil. Suppl. N. F. I Heft 1, p. 68—71.

additis demorum nominibus continent quosque Sauppius l. l. collegit, nomina magistratuum semper ex variabili ordine enumerantur. Nam hi erant catalogi vivorum atque aequalium plubico usui destinati, itaque necesse erat thesmothetas singulos eadem serie enumerari, quam tribus eo anno sortitae erant. Neque igitur effici potest cives eodem ordine antea pugnasse, quo postea eorum nomina columnis insculpta sunt. Ob eandem causam non contradicit catalogus praetorum Samii belli (Schol. Aristid. III p. 485 ed. Ddf. ex Androtione, cf. Muellerum F. H. G. IV p. 645 et Wilamowitz., De Rhesi scholiis), quo illi etiam ex constanti tribuum serie dispositi sunt. Quin etiam testimonium infirmissimum est, de quo Boeckhius C. I. G. I p. 906 iam ita iudicavit: „Nescio an Androtio ipse praetores ex ordine tribuum constanti digesserit, prout eius aetate, non Sophoclis, cuique tribui annumerabatur quisque demus". Cf. contra C. I. A. I 179, ubi praetores anni $43\frac{3}{2}$ ex sortito ordine enumerati sunt.

Postremo loco non omittam ex catalogis illis a Sauppio collectis nonnulla probabilitate concludi posse primum singulas phylas annuam seriem sortitas, tum ex eis singulis singulos archontes et praetores, alteros sortito captos, alteros suffragiis creatos esse.

Verum unum locum et eum quidem gravissimi auctoris Westermannus plane omisit, quo Athenienses tum in acie instruenda non constantem, sed variabilem ordinem secutos esse explicate demonstratur. Herodotus VI 103 enim dicit: „*ἦγον δέ σφεας στρατηγοὶ δέκα, τῶν ὁ δέκατος ἦν Μιλτιάδης*", ita ut nobis statuendum sit tribum Oeneidem ex constanti phylarum serie sextam tum sorte decimum aciei locum obtinuisse, id quod etiam capitibus 110 fin. et 111 in. eiusdem libri confirmari videtur. Accedit haec ratio. Supra p. 4 n. 1 et 48 probare studuimus veri non dissimile esse octavo die Metagitnionis mensis exercitum Atheniensem domo profectum esse. Ipsum autem proelium commissum est circa septimum decimum diem eiusdem mensis,[7]) quo die summum imperium ex ordine penes Miltiadem, *τὸν δέκατον*

---

[7]) Cf. Boeckhium, Prooem. lect. univers. Berol. aestiv. a. 1816 et Z. Gesch. d. Mondcyclen d. Hell. p. 64 sqq.

στρατηγόν, erat. Tribus igitur in pugna Marathonia sortito ordine collocatae esse videntur. Num Aeantis tribus dextrum cornu tenuerit, ut Plutarchus l. l. narrat, et recentiores plerique, quia Callimachus polemarchus, quem Herodotus illi cornui narret praefuisse, eius fuerit, coniciunt, dubito. Nam vidimus praetores e singulis phylis esse creatos eisque in acie praefuisse. Quo igitur iure dici potest polemarchum suae tribuï praefuisse, eamque dextrum cornu tenuisse? Ille simul cum aliis archontibus nec cum strategis creatus erat. Ac si revera statuendum sit eum non unius honoris causa in dextro cornu collocatum esse, tamen certe in proelio committendo non multum valuit. Sed quibus muneribus functus sit, dici nequit. Nam Mueller-Struebingium p. 438—439 suspicantem eius munus fuisse praetoris, qui exercitui universo praeerat, tribum ducere refellunt Herodoti verba: „*ἡγεομένου δὲ τούτου κ. τ. ἑ.*“ (c. 111). Denique in medio relinquo, num tribus Leontis et Antiochis in media acie iuxta constiterint.

Restat, ut de praetoribus disseram, de quibus Herodotus solus nos docet. Inter quos non maiore potestate, sed auctoritate et scientia rei militaris eminuit Miltiades. Omnes enim potestatem habuerunt manus cum hostibus conserendi, sed omnes, cum innumerabilem hostium multitudinem oculis spectassent, timuerunt cum eis arma conferre. Itaque factum est, ut Miltiades, qui propter animi virtutem et fortitudinem inde ab initio belli ad pugnam committendam quasi destinatus et veteribus et nobis visus est, Athenienses in aciem produxerit. Neque ulla causa inveniri potest, cur Athenienses ei maius imperium quam aliis praetoribus concesserint. Cui sententiae Herodotus et Ephorus planissime contradicunt. Cum autem illa strategorum contentione in castris orta respublica tantum non in maximas angustias calamitatesque adducta esset — nam Athenis multi rebus Hippiae favebant (cf. Herod. VI 109, 115 fin.) —, Athenienses a ratione omnes decem praetores aequa potestate instructos ad bellum gerendum mittendi recesserunt et uni ex collegio eorum maiorem potestatem detulerunt, sed ita ut aliorum consiliis adiuvaretur.

Nec multo post Miltiadem victorem Marathonium,

auctoritati eius nimis confisi, solum cum septuaginta navibus in Parum insulam miserunt.[8]) Insequenti quoque bello praetorum anni 480 unius Themistoclis mentionem facit Herodotus,[1]) de ceteris autem, quos in classe centum viginti septem navium (VIII 1) fuisse sumere iure possumus, omnino silet. Aristidis nescio quo pacto uno loco (IX 28 fin.) mentionem facit, et alii strategi commemorantur in c. 44 et 46 eiusdem libri. Aristidem summum imperium habuisse Plutarchus quoque, ut Diodorum omittam, testatur, qui Arist. 11 in. dicit: „*Χειροτονηθεὶς δὲ στρατηγὸς αὐτοκράτωρ ἐπὶ τὴν μάχην.*“ [2])

Haec habui, quae dissererem de statu rei militaris, qui tum Athenis erat. De quo, quae de hac quaestione eruisse mihi visus sum, breviter iam complecti placet:

I. Ex phylis ordinem annuum sortitis singulis singuli praetores suffragiis creati esse ac

II. tribus in acie ex sortita serie collocatae videntur.

III. Quibus in exercitu ducendo muneribus tum polemarchus functus sit, dici nequit. Id solum scimus eum dextro cornui praefuisse.

IV. Atque etiam tunc decem praetores aequam potestatem habuerunt, sed statim post proelium ab ea institutione Athenienses recessisse videntur.

Absolvi, quod mihi proposueram, cuius operae, si quid ad rectius cognoscendam illam illustrem pugnam contulisse iudicabor, me non paenitebit.

---

[8]) Cf. Herod. VI 132: „*αἰτήσας δὲ νέας ἑβδομήκοντα κ. τ. ἑ.*“ et Dunckerum IV p. 687.

[1]) Cf. Herod. VIII 4 fin.: *τὸν Ἀθηναίων στρατηγὸν Θεμιστοκλέα.* Cf. etiam VIII 19, 22 sqq., 57 sqq., 75, 79, 83, 85, 108 sqq.

[2]) Cf. Plut. Arist. 12, 13, 15, 16, 18, 20 in.: „*καὶ διδάσκων τοὺς συστρατήγους* (quorum iam in c. 16 mentionem fecerat) *ὁ Ἀριστείδης*“, 21, 23 in., Aristid. c. Cat. compar. 2 in.

VITA.

Natus sum Henricus Noethe a. d. XII Kal. Sept. anni h. s. LVII Susati patre Friderico, matre Dorothea e gente Schmitz, quibus vivis adhuc salvisque gaudeo. Fidei adscriptus sum evangelicae. Primis litterarum elementis imbutus a vere anni LXVIII gymnasium Susatense rectoribus Iordano et Goebelio per novem annos frequentavi. Maturitatis testimonium vernali tempore anni LXXVII adeptus per tria semestria Gottingae studiis philologicis et philosophicis operam navavi, ac docuerunt me VV. DD. Lotzius, Baumannus, Bernheimius, Muellerus, praecipue autem Sauppius, Leutschius, Wieselerus, quorum in seminariis discipulus versatus sum quibusque in perpetuum gratiam habebo.

Deinde autumno anni LXXVIII Lipsiam me contuli, ut praeter philologiam historiam tractarem et studia mea absolverem. Praeceptoribus usus sum VV. DD. Curtio, Langio, Lipsio, Ribbeckio, Overbeckio, Heinzio, Arndtio, Noordenio, Voigtio, Gardthausenio, Meyero, Biedermanno, Delitschio. Seminarii regii historici sodalis fui per tria semestria, praeterea interfui seminario paedagogico Eckstеinii, societatibus historicis Voigtii et Meyeri, societatibus philologicis Langii et Ribbeckii.

Quibus omnibus hominibus doctissimis gratias ago quam maximas, imprimis cum Noordenio et Arndtio tum Meyero, qui optime de me meriti sunt.